



M 6
38-D
6
38 K
35
VITTORIO EMANUELE

PIETAS
ex
NUMMIS
ANTIQVIORIBUS
DELINEATA
à
JOH. WEIDNERO,
AUGUSTANO.





JENÆ,
Apud JOH. BIELKIUM.

LITERIS WERTHERIANIS.
cIↄ Iↄc XCIV.



B. L.

ALiquibus id obtingit fatum scientiis, ut indivulsum comitem, veluti sol umbram, odium habeant. E cæteris illud saltem, quod in lustrandâ Veterum monetâ consistit, Antiquitatis studium huc refero, quod pauci æstimant, contemnunt plurimi. Reddenda si sit ratio, fabulosam esse Vetustatis opinionem obtendunt. At veram indagantibus nobis caussam, ignoratio rei obvenit. Scilicet hominum animi ita plerumque comparati esse solent, ut, quod ipsi vel nesciunt, vel scire nec volunt, nec possunt, veluti optimè hæc talia essent docti, superciliosè negligant, contemnant, & qui se dant isti arti, exsibilent. Ridenda verò est horum & miseranda conditio. Quippe in hunc ferè modum cum iis agi solet, ut, dum adolescunt, & longas noctes agunt, ubi paulò solicitiùs indagare res sibi ignotas debuissent, ignari contemnant, & suis non servire commodis arbitrentur; hinc, quando eos quidem *aliqua ex vetustatis commemoratione prisca opinio* allicit, tamen profundiora esse ejus secreta, quàm ut investigare queant, opinentur. Dein res angusta domi & parva parentum supellex humi repere, neque ad altiora hæc elevare frontem patiuntur. Huic robur addit Patronorum, languens interdum au-

xilium

xilium & curta subsidia, quæ strenuè eruditam ambienti famam, copiosioremque rerum antiquarum notitiam, terminos figunt, neque hos supergredi aut evitare sinunt. Porrò, quæ olim ex ore magistri hæc talia nescientis hausere, eadem avidè retinentes etiam tanquam Apollinis ex tripode dicta verissima defendunt, neque ullo modo ab iis amoveri se patiuntur: & inde, ubi se æqualium colloquiis misceant, oblatâ occasione tædii sui proferre, tuerique causam, aliisque iterum instillare, imò, si exemplum aliquod hâc in arte deprehendant, ridere conantur. Tandem doctiorum eos confirmat auctoritas. Dum namque hæc studia negligi aut certè non adeò, ut jure debebant, æstimari vident, assentiuntur, & ipsâ, quam vel opinantur, vel sibi persvaderi sinunt, gravitate difficultateque territi, incuriosi aspernantur atque omittunt. Et hæc sunt, quæ canam prohibent scientiam; obstacula, quibus retardati multi infelicium ex parte hâc Litteratorum numerum impleverunt. Benè verò est, quod mihi licuerit esse feliciori, & si non detur ultrà, extremis saltem digitis hæc sacra tractare. Cùm enim in elaborandam aliquam Dissertationem meos insumere cogitarem labores, Excellentiss. Dn. JOH. ANDR. SCHMIDIUS, Patronus meus ætatem colendus, ut, quæ nunquam aliàs tetigi, Numismata eorumque argumenta evolverem, suasor extitit. Difficile mihi videbatur factu: quia tamen ejus studii præstantia & usus legendo Illustr. Spanhemio satis innotuerat, magis magisque nummorum me incessebat amor, ut tandem consilio assentirem, jussisque parerem. Prodit ergò veluti immaturus adhuc fœtus præsens hoc nostrum schediasma, in quô multa desideramus, B. Lectorem unicè rogantes, ut, quæ fortè robur nostrum superâsse deprehenderit, pondus iis demere, & corrigendo, quæ falsa sunt, nostram juvare velit imbecillitatem.

Pie-



Pietas definiente Cicerone (*a*) est, *quæ erga patriam aut parentes, aut alios sanguine conjunctos officium conservare monet.* Videtur hâc definitione excludere eam, *quæ est erga DEUM,* qvam tamen Augustinus (*b*) veram nuncupat pietatem; præsertim cùm alibi, loco etiam citato, distinctè PIETATEM ac RELIGIONEM separârit (*c*). Verum cùm ipse utatur Cicero hâc phrasi, (*d*) qvod *Pietas sit justitia adversus Deos*, nullum inter Pietatem ac Religionem discrimen qværendum, & promiscuè utrumqve sumi potest. Diodorus Siculus (*e*) utriusqve significatum complectitur, inquiens: ὅτι τὸν βίον ἐξετέλεσεν εὐσεβῶν καὶ δικαιοπραγῶν πρός τε ἀνθρώπους καὶ θεούς. Atqve optimè Josephus: (*f*) Μωσῆς οὐ μέρος τῆς ἀρετῆς ἐποίησε τὴν εὐσέβειαν, ἀλλὰ ταύτης τὰ μέρη τ' ἄλλα συνεῖδε καὶ κατέστησεν. λέγω δὲ τὴν δικαιοσύνην, καρτερίαν, σωφροσύνην, τὴν τῶν πολιτῶν πρὸς ἀλλήλους ἐν

A ἅπασι

(*a*) Lib. II. de Invent. p.m. 127. D. (*b*) De Civ. DEI. Lib. IV. c.23. p.454. & Lib. X. c. I. p 884. conf. Lactantius Lib. III. de fals. Sap. cap. 9. p. m. 222. & de Orig. Erroris Lib. II. c. 16. p. m. 184. (*c*) Conf. Orat. XIV. pro A. Cluentio p. 396. B. & Orat. XXX. de harusp. Resp. p. 607. C. (*d*) de naturâ Deor. Lib. I. p. 293 H. & de fin. bon. & mal. Lib. III. p. m. 120. B. (*e*) Biblioth. Lib. I. Sect. Alt. (*f*) Adv. Apion. Lib. II. p. 861.

ἅπασι συμφωνίαν. Ἅπασαι γὰρ αἱ πράξεις καὶ διατριβαὶ, καὶ λόγοι πάντες ἐπὶ τὴν πρὸς θεὸν ἡμῖν εὐσέβειαν ἔχουσι τὴν ἀναφοράν. Conferatur Ill. Ezechiel Spanheimius, (g) qui etiam à Platone promiscuè sumi edocet, & Choulius, (*h*) qui addit: Et quand elle (pieté) change de nom, elle se nomme Religion. Plinius (*i*) etiam omnia, quæ summa animi integritate geruntur, *Pietatis* atque *Sanctitatis* includit nomini. Huic consentit Lampridius, (*k*) qui de Alexandro Severo: *dies denique nunquam transiit, quin aliquid mansvetum, civile, pium faceret; sed ita, ut ærarium non everteret. Hinc, cùm cunctis hominibus esset amabilis, ab aliis Pium esse appellatum*, Idem (l) paulo ante affirmavit. Aliter planè ac insitatè sumitur in Inscriptione illâ apud Gruterum. (*m*)

PIETATI FORTUNÆ PRIMIG
VOTIS SUSCEPTIS &c. &c.

Etymologiam in eo consistere dicunt, (*n*) quòd, *quæ in ea sunt, quasi penitus & in penetralibus reconduntur*. Notatio an fallat, alii disquirant.

Et hanc Pietatem DEAM quoque credidêre Romani atque coluêre; Festus. (*o*) Huc fortè facit illud Ciceronis, quando eam *gravissimum* vocat atque *Sanctissimum Numen*. Notanda inscriptio apud Gruterum: (*p*)

CÆCILIA. TROPHIME. STATV
AM. PIETA. TESTAMENTO. SVO
EX.

(*g*) de præst. & usu numism. dissert. VIII. p. 720. f. (*h*) de la Religion des anciens Romains. p. 136. (ed. Lugd. 1567.) (*i*) Lib. Nat. Histor. VII. Cap 36. (*k*) Cap. 20. (*l*) Cap. 4. (*m*) p. 76. (*n*) Nonnus Marcellus de Propr. Serm. (*o*) Lib. XIV. (p) p. 101.

EX. ARG. P. C. SVO. ET. CÆCILI
SILON. MAR. SVI. NOMINE. P. C.

Et alia ap. Eundem. (*q*)

D. M.
ET. ÆTERNÆ. QVIETI. &c. &c. PARENTES. FILIO.
DVLCISSIMO
P. C. CVI. LOCUM. ARE. PIETATI. CONCESSIT. JVL.
BARANE
MATRONA. INCOMPARABILIS. SVB. ASCIA. DE-
DICATVM. EST

Ædes alioquin, quæ *Pietati* extructa, & à Mario Acilio Glabrione II. Viro dedicata, nota est, è Livio, (*r*) Valerio Max. (*s*) & Plinio (*t*) qui omnes *matrem* à filia lacte nutritam asseverant, contra Festus (*u*) ait, *Patrem.* Cui subscribit Choul. l. c. inquiens: *A Rome estoit le petit temple de la Deesse Pieté, dedié par Attilius en la place, ou avoit demeuré la femme, qui avoit nourri son pére prisonnier de ses mammelles &c. &c.* Litem hanc nos dirimere supersedemus.

I.

Confirmant jam allata nummi, in quibus PIETAS Dea repræsentatur. Primus est ipsâ suâ Caritate pariter ac Raritate conspicuus. Aureus namque est, & non ubivis obvius. Habet verò eundem Nobilissimus atque Antiquitatum Admirator felicissimus DN. Thoman, Fautor noster adm. colendus, in thesauro, quem paterno † possidet jure

 in

† De qvo Patinus in epistolâ ad Eberhardum Ducem Würtembergicum p. 21. *Monsieur Thoman occupe le reste du temps que sa*

(*q*) p. 664. (*r*) Liv. Lib. 40. c. 34. (*s*) Val. Max. V. cap. 4. n. 7. (*t*) Plin. Libr. VII. c. 36. (*u*) Lib. XIV.

De hujus autem nummi Auctore, vel in cujus honorem cusus sit, dolendum, quòd nihil constet. Inscribitur saltem ex unâ parte PIETAS; ex alterâ VESTA cum S. C. Excell. Begerus (x) credit: *Pietatis quae erga Deum est, effigiem velato solere pingi habitu; quae verò erga homines absq; velo, facie caeterùm eleganti, capite comato, inauribus & monili circa collum, imò & cū ciconiâ. Caput est,* subjungit, *muliebre ut intelligas, non indomitā virilis animi duritiem, sed muliebrem cordis contritionem ad sacra afferendam; Comas procinxit, ut vanas humanae superbiae cristas coram Deo significet coërcendas; velo tegitur, ne profanis turbetur aspectib9 &c.* plura vid. ap Eundem, qui etiā effigiem hujusmodi hyacintho incisam, atqve olim in Bibliothecâ Heidelbergensi asservatam affert, quae nostro nummo persimilis. De Vestâ, qvae breviter possunt, dicemus. Haec non fuit una. Alia enim mater est ac tellus habita. Ovidius: (y)

Vesta

qve sa Republiqve lui laisse à amasser ce qu' on peut voir de plus curieux. Les medailles antiques & modernes tiennent le premier rang, les livres en suite, les tableaux, les estampes, & un grand nombre de bijoux, en fin il a un grand quantite de raretes, & s' y connoit parfaitement: j'ai remarqué chez lui un portrait de la main d' Albert Dürer, d' aussi bon goust qve je n' aye vū allieurs. Atq; iterum etiam in introduction. ad Historiam numism. (ed. Amstelod. 1683. in gallico namqve exemplari hoc caput non apparet) Cap. 25. p. 221. *Augustam Vindelicorum egregiè nobilitaverant elapso nuper seculo celebratissimi numismatum veterum Cultores, Fuggerus Comes, & Medicus Adolphus Occo, eandemq; ei gloriam servant urbis Syndicus Thomannus; Vernerusq; pictor: ille quidem tùm urbanitate tùm eruditione nulli secundus: hic vero pictura omnis generis notissimus.*

(x) In Thesauro ex thes. p. 96. (y) Lib. VI. Fastor. v. 268.

Vesta eadem est, & terra . . . .

Et sic latina vox; non verò *à vi stare*, ut vult Ovidius l.c. (z) sed à *vestire*. sc. terram, denominata. Alia filia ac Minor dicta, Domina ignis, vel אש יה Ἑστίας à foro, vel ab אש s. אשא appellata. Conferatur Dilherrus, (a) Tertullianus. (b) Inscriptio apud Gruterum p. 28.

ANTIQVA GENEROSE DOMO CVI REGIA VESTÆ PONTIFICI FELIX SACRATO MILITAT IGNE IDEM AVGVR &c.

Variorum fuit Dea populorum, inter hos Scytharum; juxta Herodotum, (c) Ægyptiorum; conf. Pignorius, (d) Atheniensium, unde festum apud eos ΕΣΤΙΑΙΑ dictum, conf. Meursius; præcipuè tamen quoque Trojanorum s. Phrygum; Herodianus: (f) à quibus Romani accepere, Ovidio (g) & Lucano (h) confirmantibus. Effigiem nullam Vestam habere, auctor est Ovidius l.c. (i) Varia tamen nobis exhibetur. *Tympanum gestare* dicitur, *ad denotandos terræ ventos.* (k) Potissimum autem formâ muliebri (neque tamen semper sedente) vel simpuvium vel Palladis imaginem, sinistrâ ut plurimum hastam puram tenens, capite verò non semper velato. Conferatur Choulius (l) qui varia exhibet Vestâ conspicua numismata. Cæterùm mirandum est, aureum hunc & nihilo secius S.C. excusum nummum. Quod argu-

(z) v. 301. *Stat. vi terra suâ, vi stando terra vocatur.* (a) de Caccozelia Gentilium Part. Special. Cap. XI. p. 269. (b) Tertullian. contra Marcion. L. I. Conf. Vellejus Paterc. sub fin. Lib. II. qui eam vocat: *Perpetuorum custodem ignium.* (c) Melpom. lib. 4. p. 107. (d) In mens. Isiac. p. 44. (e) Græc. Fer. Lib. III. (f) Lib. I. c. 11. p. 34. s. (g) Lib. I. Fast. (h) Lucanus Lib. IX. v. 995. (i) v. 300. (k) conf. Rosin. Antiqv. Rom. Lib. II. cap. 12. p. m. 321. (l) p. 335. & Occo passim.

argumento est, vel adhuc ante Augustum Imperatorem, vel peculiari quadam Augustorum licentiâ cusum esse nummum hunc: Quandoquidem constat, rarissimè (juxta alios nunquam) post Augustum id licuisse Senatui, ut aurum feriret. Talem tamen Drusi cum S. C. aureum nuper vulgavit Polyc. Tenzelius in Numism. Select. (m)

II.

Sequitur alter nummus sed æreus è museo Thomaniano. Inscribitur: PIETAS, Imago Pietatis velata, & DRVSVS CÆSAR TI AVGVSTI F TR POT ITER S C. Fuit hic Drusus Tiberii ex Agrippinâ juxtâ Dionem lib. 57. & Svetonium in Tib. cap. 7. Tacitus (n) Vipsaniam vocat, naturalis filius. Varios obtinuit honores ac Magistratus, etiam Tribuniciam potestatem, flagitante Tiberio, bis nactus, tandem insidiis Sejani quem anteà offenderat, veneno periit, non admodum lugente Patre. (o) Magnopere æstimatum fuisse à Tito Cæsare testantur nummi, quos restituit in honorem ejus, apud Patinum, (p) Occonem (q) & alios. Cætera, quæ ad Drusum pertinent, cùm nuper admodum Tenzelius (r) aureum Drusi numisma vulgârit, eò lectorem remittimus, ne idem agamus, saltem S. C. paucis expendamus.

Postquam Romanam Romulus augeri magnitudinem videbat, consiliū viribus paraturus, creavit *Senatores* (s) anno V.C. tertio conf. Onuphr. Panvinium in Fastis. Adhibebantur tunc, cùm Roma Reges adhuc haberet, saltem consiliis dandis, usque ad Tarquinii Superbi tempora A. V. C. 244. & vo-

(m) Aur. II. p. 6. s. (n) Annal. III. 19. (o) Tacit. l. c. III. c. 56. Sveton. l. c. c. 62. & 51. (p) Numism. Impp. f. 79. (q) à Mediobarb. illustrat. f. 72. (r) l. c. (s) Liv. lib. I. c. 8.

vocabantur *Patres*; rationem pete e Plutarchi Romulo. (*t*) Posteà ex illis Consules annui bini, quorum primus erat L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus; qui ob nomen Tarquini & affinitatem exosam posteà Consulatu sese abdicavit urbeque cessit, substituto Publicolâ, (*u*) electi sunt, qui reliquos alliciebant in Senatum, quos *Patres Conscriptos* dictos esse è Tacito (*x*) constat; *iisdem*, inquiens, *diebus in numerum Patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum qvemq; è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliqvis familiarum, quos Romulus majorum gentium &* (corrigentibus Ludovico Vive & Justo Lipsio, ut è Rosino discimus) *L. Tarquinius minorum, Brutus Conscriptorum* appellaverant (*y*) &c. &c. Et hi modò pauciores (non tamen qvàm 200.) modò plures faciebant SENATUS CONSULTUM, quæ vox jam Bruti tempore invaluit, uti patet è Livio, (*z*) & *aliis manum porrigentibus, aliis pedibus* (*a*) *in sententiam euntibus, plerisq; verbo consentientibus conditum est.* Flavius Vopiscus. (*b*) Vocat hoc Cicero ad Marcellum (*c*) HONORIFICENTISSIMUM, quia omninò grandis honor esse debuit, qui unanimiter adeò à splendido Senatu conferretur. Triumvirorum primò in nummis aliàs ita nudè litteris majoribus S. C. poni solitum, pòst id temporis & in aliis obvium, maximè tamen in Drusi & Trajani nummis invenitur freqventiùs. Cur verò Pietas in Drusi nummis aliquo-

(*t*) Cap. 18. conf. Liv. I. c. Justin. Lib. 43. c. 3. Paterc. I. I. Salust. Catil. V. 10. Dion. Lib. 52. Florus Lib. I. c. 1. Aurel. Victor. de illustr. Viris Cap. 2. (*u*) Liv. lib. II. c. 2. c. 2. Flor. Lib. I. c. 9. (*x*) Lib. XI. Annal. Cap. 25. (*y*) conf. Liv. lib. I. capp. 35. 47. Lib. II. cap. 1. Plutarch. Qvæst. Rom. 58. (*z*) Lib. II. cap. 2. (*a*) hoc fiebat per discessionem. Tacitus Annal. VI. c. 12. Cælius ad Ciceron. epist. Lib. 8. ep. 8. p. 128. F. (*b*) in Aurel. c. 20. (*c*) Epist. Fam. Lib. XV. ep. 10 p. 270. G.

quoties signata reperiatur; liquidum non est. Forte eadem erit, quæ in Germanici nummo, caussa, cujus nummum cum inscriptione PIETAS AVGG. S.C. Strada exhibet. Ut adeò non immeritò, cùm Drusus *animi fluxioris remissiorisq; vitæ* fuerit, teste Svetonio (*d*) & Plinio, (*e*) Patinus, qui eundem nostrum typis exscripsit nummum, *quid Viro impurissimo cum pietate; cani cum balneo?* disqvirat. (*f*) Ex adulatione tamen, quâ arte jam ante aliquot annos sub Cæsare atque Augusto suam adhuc conservare didicit auctoritatem Senatus, Pietatem, ut pluribus aliis, tributam Druso esse, nullum licet adesset pii facinoris vestigium, grandis suspicio est.

Et hi sunt bini nummi, quos pro PIETATE DEA adduximus, licet & Herennii & Albini Cæsarisque nummos huc referre interfuisset. Interea largimur facilè, animus si Cusoris & totum nummi argumentum melius pateret, maximè priorem illum Religionem & Pietatem etiam erga Deos subinnuere posse. De quâ jam agemus.

Præter enim quòd Pietas Dea sit, variè accipitur: ita ut, quemadmodum est complexus omnium virtutum, præcipuè vel *hominum erga Deum*, vel *hominum erga homines et mortuos*, quos *Divos* dicunt; vel *Civium erga patriam*; vel *inferiorum erga superiores*; vel *liberorum erga parentes*; vel *parentum erga liberos*; vel tandem *æqualium invicem*, *religionem* atque affectum denotare queat. Singula hæc ordine persequemur.

PIETATEM ERGA DEUM consideraturis amplus patescit campus de religione Romanâ differendi. Cùm verò alii id fusius jam egerint, meritò, quia hujus loci non est, omittimus. Nunc saltem è nummis veteribus, qvàm variè hæc expressa fuerit, & à quibus observata, ostendemus.

II. Hic

(*d*) Tib. Cap. 52. (*e*) Lib. 14. c. 22. (*f*) p. 79. Numism. Impp.

III.

Hic primùm se sistit Hadriani nummus argenteus: Inscriptio est: HADRIANVS AVG COS III PP Hadrianus Augustus Consul tertiùm Pater Patriæ.

PIETAS AVGvsti. Figura stans protensis manibus, ad cujus pedes ara. Eundem habet Occo *(f)*; nummus argenteus est è thesauro Bosii. * Hadrianus ab Hadria ortos majores suos apud Italiam Scipionum temporibus resedisse, in libris vitæ suæ ipse commemoràsse dicitur Ælio Spartiano. *Ἀδριανὸς Ἄφρου υἱὸς* dicitur Dioni *(g)*. Patre mortuo post varias expeditiones bellicas, & Trajano Tutori dictas blanditias, Plotinæ tandem vel dolo vel favore in filium adoptatus, & post mortem Trajani AVGVSTVS salutatus est. Per imperii tempus ita se gessit, ut plurimum Senatûs auctoritati tribueret, cæterum ita *Remp gereret, ut sciens populi rem esse, non propriam*. Erat prætereà omnium ferè disciplinarum amantissimus, præcipuè poëseos.

Cæteram ipsius vitam vid. ap. Æl. Spartianum, cui hæc omnia debemus, & Sextum Aurelium Victorem, Dionem etiam *(h)*. Ter saltem Consul factus est, & hunc Consulatum qvatuor tantùm egit mensibus. Noster nummus barbatum non exhibet, cùm tamen primus inter Imperatores barbam aluerit, ut *vulnera, quæ in facie erant, naturalia tegeret*.

B (i) Ali-

* Hunc *ut virum eruditissimum, sic antiqvitatum omnis generis perditum amatorem & possessorem locupletissimum Jenam perdidisse* dolet Patinus In Introd. ad Hist. Nummism. Cap. 25. p. 222. Inspeximus nummum ex beneficentia Max. Rev. atq; Excell. Dn. D. Sagittarii, Polyhistoris famigeratissimi & Præceptoris mei, quem Parentis instar veneror, fidelissimi qvi hæres Thesauri istius Bosiani nobilissimi factus est.

(f) p. 179. (g) Lib. 69. p 788 (h) Lib. 69

(*i*). Aliàs enim plerique Romanorum tonsi & imberbes erant, ut de *Ottone* Svetonius (*k*) etiam commemoret, *faciem qvotidie rasitâsse, ac pane madido linere à primâ etiam lanugine consveviſſe*, ne barbatus unquam esset (*l*). Chokier *hærere sibi aqvam dicit, ad qvod tempus usus radendi barbam desierit* (*m*): at verò, re bene perspectâ perpensâq; , cum Hadriano desiisse hanc consuetudinē ad seros usque annos, patet. Coronâ laureâ cinctus est, non ob triumphos reportatos, sed ut principatus insigni: *Nulla enim unqvam bella movit, aut triumphum gessit.* Religionis admodum studiosus fuit, ut aversus nummus haut immeritò de ipso pietatem prædicet. Ergà adoptantem namque Trajanum, Plotinam etiam, adeò pius fuit, ut *illi divinos bonores datis ad Senatum accuratissimis literis postularet; huic verò Basilicam apud Nemausum Opere mirabili extrueret:* (Spartianus l. c. utrique etiam nummum cuderet, cum inscr. DIVIS PARENTIBUS (*n*)) Augustum etiam atque Pompejum M. summis reveritus est ac divinis honoribus (*o*) Erga subditos non minorem exhibuit clementiam, *cum noxiis pœnam remitteret, debitoribus suis summam remitteret, egenosq; aleret. Diis etiam qvos adiit peragratis provinciis ubiq; summos detulit bonores.* (*p*) *Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippiq; suscepit. Solem divinis auxit bonoribus, cui bis, semel Ætnam conscendens, dein montemCassium, hostiam & victimas obtulit.* Deam Cupram quoque coluit teste inscriptione veteri: (*q*) IMP.

(*i*) Spartian. l.c. Cap.25. & Dio Lib. 68. p. 777. conf. nummos ap. Patinum N. I. f. 190. f. Stradam n.85. (*k*) in ejus Vit. c. 12. (*l*) Conf. ad hæc Alex. ab Al. Lib. V. c. 18. Dier. Genial. p. 290. (*m*) Fac. hist. Cap. 30. Cent. I. (*n*) Ap. Occon. f. 172. (*o*) Conf. Spartian. passim. & Inscription. Rarissim. ap. Gruterum p. 573. (*p*) Conf. nummos ap. Patin. f. 197. & illum ap. Choulium p. 573. (*q*) Ap. Gruter. p. 1016.

IMP. CAESAR. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. D. NERVAE. NEP.
TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III.
MVNIFICENTIA. SVA. TEMPLVM. DEAE. CVPRAE. RESTITVIT

Christo quoque *Deo in omnibus urbibus* teste Lampridio (r) *templa sine simulacris fieri jussit, quae idcirco, quod nomina non habebant, prohibito illo, Hadriani usq; ad Constantinum dicta sunt.* Hinc Christianis optimè favebat: Xiphilinus in Dionem: (s) Τῇ τοῦ Ἀδριανοῦ τιμῇ ἦν ἐκεῖνος ἅμα χριστιανός. Quae sane omnia egregiam Hadriani erga Deos hominesque insinuant pietatem. Nummus etiam noster haud vulgare est testimonium, ubi ipse figurae status singularem devoti animi denotat affectum. Scilicet expansae manus atque in coelum sublatae preces significant. Cicero (t) *Pietate & Religione & justis precibus Deorum menteis, non contaminatâ superstitione, neque ad scelus perficiendum caesis hostiis posse placari*, & hinc Horatius: (u)

Caelo supinas si tuleris manus

& Virgilius: (x)

——— Anchises
——— Oculos ad sidera laetus
Extulit, & caelo palmas cum voce tetendit.

Hoc gestu ergò votum notari publicum, quod Imperator pro Rep. nuncupare potuerit, suspicio est, cùm ejusmodi Hadriani nummum, ubi utraque manus elevata est, non tamen additâ arâ, videamus ap. Oyselium (y) cum inscr. VOTA PVBlica.

(r) In Alex. Sever. cap. 43. (s) Lib. 70. (t) Orat. XIV. pro A. Cluentio. p. m. 396. B. (u) Lib. III. Carm. Od. 23. (x) Lib. II. Aeneid. v. 682. conf. Lib. III. v. 177. (y) Tab. CXI. n. 2.

lica. Alius etiam apud eundem (z) Antonini observatur nummus in quo figu e sacrificatura & inscribitur: PIVS P M TR P COS DES II & in medio: VOTa PVBlica, qvem explicat Oyselius, qvòd sit *Pietas velata manibus* (alterâ tamen vasculum tenente neque protensâ) *sublatis vota concipiens ante aram accensam* (a). Reperitur etiam in civitate p triâ meâ ad D. Jacobi portam tabula quædam lapidea, quam exhibet Velserus in Reb August. (*b*) in quâ Jovi sedenti duo supplicantes cernuntur, quorum alter dextram sublevat, alter demittit. Tales etiam figuræ sæpiùs in nummis expressæ. Conf. Hadriani alium ap. Occonem (*c*) & Faustinæ (*d*), Juliæ Severi Ux. (*e*). Begerus (*f*) etiam ferè similes Volusiani Imp. habet nummos, ubi addit: *En causam, cur PIETAS AVGVSTORUM ante aram manus attollat? Calamitatem publicam deplorat, cœlumq; precibus fatigat, ut tanti mali (pestis) vim comminuat.*

IV.

Alter nummus Hadriani, qvem excudi fecimus, differt à priori, quod hic nudus capite appareat Hadrianus, optimè ipsius expressâ consvetudine: quandoquidem de eo constat è Spartiano (*g*) *qvòd frigora & tempestates ita patienter tulerit, ut*

(z) l. c. (*a*) Talem etiam nummũ cudi jussit Ludovicus XIV. Rex Galliarum, ubi figura quædam elatis ad cælum manibus adstat altari, & inscribitur: DEO CONSERVATORI PRINCIPIS, & infrâ: GALLIA VOTI COMPOS. M DC LXXXVII. quem explicat Menestrier: *La france ayant obtenu par ses Vœux le retablissement parfait de la santé du Roy, rend des solemnelles actions de graces à Dieu, qui a conservé sa Majesté.* vid. Menestier, in histoire, du Roy Lovis le grand. (*b*) f. 364. (*c*) p. 168. & 179. (*d*) f. 208. (*e*) f. 282. (*f*) In thes. ex thes. p. 339. (*g*) In Vit. Hadr. c. 17. & 23.

ut nunqvam caput tegeret, imo omnes orbis partes capite nudo peragrârit, qvâ re morbum deniqve sibi contraxerit lethalem. Inscriptio eadem est, quæ in priori, & aversus PIETatem AVGusti stantem ante aram, dextrâ pateram tenentem, & serpentem sinistrâ pascentem ostendit. Serpens sanitatis salutisque Symbolum est, & Æsculapio sacer, qvia ex illo plurimæ morbis medelæ sumi possunt. Segvinus (*b*) rem complectitur his verbis: *Sancitum Religione erat, ut salutis, Victoriæ, Pacis Abundantiæ, Felicitatis, Prudentiæ, non tam imagines & figuræ, quàm numina ipsa serpentes haberentur.* Tomasinus (*i*) etiam *Romanorum eundem Deum, naturam morbi, hominem fugiendi aliqvid nulla conseqvendi spe, vitam tranqvillam, depositum morbi sqvalorem, dominium heroibus, salutis, veritatis etiam, boniq; dæmonis symbolum* serpentem asserit. conf. Joh. Pierii Hieroglyphica. (*k*) Et hinc est, qvòd Medici olim serpentem sibi attribuerint. Cujus rei nobile exemplum est pictura ista quadrata, in quâ Aleander cum serpente fictus cenitur apud Lambecium. * Similem sed Antonini Pii nummum exhibet Choulius, (*l*) ubi serpens aræ circumvolutus pascitur à quadam Deâ, cum lemmate: SALVTI AVG COS III. S. C. In nostro autem unde Pietatis appellatio, non adeò liqvet. Conjicimus tamen, salutem Principis etiam sacris factis piè admodum à Diis expetitam, occasionem nummi cudendi dedisse. Hùc facit, quòd ægrotus, cùm mori vellet, è voto Severiani, quem innocenter percussit, non posset. (*m*) eòque magis ejus sanitas à Diis expetienda.

 V.Se-

(*b*) In Agathodæm. f. 300. (*i*) In Cecropiæ Voto. p. 47. 51. 54. 55. (*k*) Lib. XV. c. 13. XVI. c. 4. (*l*) p. 118. (*m*) teste Xiphilino ad Dion. lib. 69 p. 795.

* In Biblioth. Vindobon.

V.

Sequitur L. Ælii nummus, exhibens ipsius caput nudum, at faciem barbatam, cum inscr. L. AELIVS CAESAR. Alterâ facie Pietatis typus iterum apparet velatus ad aram, vel pateram vel aliud qvoddam vasculum tenens, sinistram elevans: TRibuniciæ POTestatis COnsul. II. Secundùm & in medio: PIETAS. Nummus noster plumbeus saltem in Thesauro Sagittario-Bosiano asservatur, argenteum tamen eundem habet Occo.

Lucius hic Verus, aliàs Cejonius Commodus dictus, Patre cognomine natus, ab Hadriano adoptatus in Æliorum familiam transcriptus L Ælius vocari cœpit. Cæsaris nomen usurpat ob adoptionem: Hoc solo enim, qvi non Principes sive Augusti erant, ornabantur. Primus tantùm Cæsaris nomen accepisse dicitur atque usurpasse: id qvod non intelligendum, ac si non & alii Cæsares qvandoque se vocârint, cùm hoc de Nerone apud Oyselium (*n*), & ejus adversario C. Julio Vindice apud Stradam, (*o*) constet. Testatur hoc ipsum Ælii caput nudum sine laureâ, quod in omnibus suffragante Oyselio nummis cernitur. Cæterùm fuit *Vir vitæ lætissimæ, eruditus in litteris, comptus, decorus, pulcritudinis regiæ, oris venerandi, eloqventiæ celsioris, in Rep. etiam non inutilis, aliàs voluptuosus, atque amorum studiosus extitit*, teste Spartiano. (*p*) Consul fuit ante adoptionem, & pòst iterum cum Cælio Balbino Vibullio, verùm ipsis Calendis Januariis obiit, Consulatûs Tribuniciæqve Potestatis honorem bis consecutus. Paucos qvi in honorem ejus cusi sunt, habemus nummos, & aliquot Pietate insignes, qvos recenset Occo. Noster velatam exhibet figuram stantem. Status in-

(*n*) Tab. III. n. 2. (*o*) n. 55. (*p*) in Vit. Ejus.

inquit Philo, *inconvertibilis mentis indicium est, ac sese Deo applicantis.* conf. Pierius, (*q*) qui etiam, nostrum nummum huc refert. Unde & primi Christiani stantes orabant,& *Stationes preces publicæ* dictæ. (*r*) Manu tenet,uti videtur,acerram, sive θυμιατήριον, *quod Symbolum est ignis, qui nos calefaciat ad pietatem, impellatq; mentis nostræ impetum ad doctrinam DEI,ut oratio nostra in conspectu ejus tanqvam θυμίαμα, odor ascendat, dicente* Pierio. l. c. (*s*) Est namq; ignis καθαρτήριον τῆς φαύλης ὕλης καὶ μοχθηρᾶς Nazianzeno teste, (*t*) & Horapollo (*u*) ait: Αἰγύπτιοι γράφοντες πῦρ καὶ ὕδωρ ζωγραφοῦσιν ἐπὶ διὰ τούτων τῶν στοιχείων πᾶς καθαρμὸς ἐκτελεῖται. Facilè patet, qvandò hic nummus cusus sit, Vivo sc. adhuc eo,& vel ad ipsas calendas Januarias, quibus inopinatò obiit, (*x*) referendus, quibus Herodiano (*y*) teste, Ῥωμαῖοι νομισμάτων τε, ἀντιδόσεσι, καὶ κοινωνίᾳ τῶν γῆς καὶ θαλάττης καλῶν εὐφραίνουσιν αὐτοὺς ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τότε πρῶτον τὴν ἔνδοξον καὶ ἐνιαύσιον πορφύραν περιτίθενται.

VI.

Hunc excipit justo ordine *Antoninus Pius.* Qvem nummum sed temporis injuriâ paulisper detritum munificentia Magnifici Dn D. Wedelii, Antiquitatum talium non laudatoris solùm sed & Indagatoris felicissimi Patroni nostri usq; ad tumbam deveneranđi,nobiscũ communicavit. Argenteus est,atq; ex unâ parte laureatũ Antonini Pii caput, cum inscriptione: IMPerator CAESar Titus AELius HADRianus, (re-

(*q*) l.c. Lib. VI. c.3. p.69. Lib XXXV. c.16. (*r*)Conf. Hildebrand. in Rituali orantium Cap.VI.§. 3.p.88. (*s*) Lib.XLVI.c.31. (*t*) vid.not.Hoeschelii ad Horapoll. Hierogl. Lib. I. p. 188. (*u*) Cap. 43. Libr.I.p.31. (*x*) Conf.Spartian. in Vit. Ejus. c. 4. (*y*) Lib. I. c.16.

(reliqua non amplius apparent, supplenda tamen) ANTONINVS AVG ustus PIVS Pater Patriæ: Ex altera parte Pietatis forte imago est stolata dextrâ victimam quasi ad aram trahens, & sinistra manu canistrum fructibus plenum tenens, ante qvam ara, & inscr. TR ibuniciæ POT estatis (& hic cætera deficiunt, intelligendum a.) COnSul IIII. Prior inscriptio roboratur ex aliis nummis, ubi eadem apparet; posterior verò è conjunctura. Non enim certi sumus, quinam Tribuniciæ Potestatis annus II. vel XIII. adhùc sub intelligendus sit,, qui in aliis exprimitur. (z) Titus Aurelius Fulvus Bojonius Antoninus ab Hadriano post mortem L. Ælii adeptatus, *tantæ bonitatis in principatu fuit, ut haud dubiè sine exemplo vixerit.* Cur dictus sit Pius, infra dicemus. Ejus vitam breviter delineavere Aurel. Victor, Julius Capitolinus, & brevissimè è Dione Cassio Xiphilinus & Suidas. Aversum igitur nunc breviter exponemus nummum. *Porphyrius in libro de sacrificiis* auctor est, *primitùs non animalia, sed fruges saltem offerri diis solitas.* Qvæ qvidem, si de gentis suæ consvetudine intelligat, vera sunto, sin minus, & ad exordia humani generis, ut videtur, extendat, mendacii ipsum sacra accusat pagina. In nostro nummo & fruges & victima occurrunt. Disqvirendum igitur cui hæc sacra facta? Eo verò cùm devenerimus, probè dispiciendum, hircusne an canis sit, qvi immolandus. Hircum immolatum esse ab omni Magistratu ob frugum germinatiónem Minervæ, quod sacrificii genus χαριστήρια dictum, è Suidâ Saubertus(a) probat. Canes verò in Lupercalibus festis, & Laribus, Hecatæ etiam, imò in piaculis pro hostiis usurpatos testatur Plutarchus,(†) & inscriptio Vetus, qvam vidi apud Hoffmannum in epistolâ (b) ad

(z) Conf. Occon. f. 197. & 201. & Oysel. tab. 78. (a) De Sacrificiis Cap. 2. (b) Ep. 34. p. 213. (†) in qvæst. Rom.

ad Reinesiũ,(*b*) DIS MANIBUS immolatos esse canes edocet. Cæterùm novimus FLORIFERIUM, quo spicæ ad sacrificium ferebantur: novimus ALOA, quod Græcorum festum, sed Cereris in honorem post comportatas fruges agitabatur, & aliàs θαλύσια dictum. Meursius. (*c*) Verùm an canes hircive mactati, tacet historia. Ejusmodi tamen sacrificium, quo & poma offerri, & thura accendi cernuntur, exhibet Choulius. (*d*). *Tertullianus* etiam in Apologiâ adversus gentes, (*e*) *Libero & Cybele, ET CERERI BESTIAS oblatas esse* objicit: quibus si canem, qui tamen optimè ex contextu cum aliis intelligi potest, & in nummo nostro cervice reclinatâ, quam cælator minùs perspicuè expressit, exhibetur, annumeremus, addito isto Meursii loco, prodibit sacrificium Cereris. Confirmat sententiam Ovidius, qui Romanos sævitiem caniculæ, qua tempestate Cereris dona colligimus, Cane placare solitos ait: (*f*)

Pro cane siderio canis hic imponitur aris;

ubi mox ipse Naso festum FLORALE, quod modò FLORIFERIUM appellavimus, subjungit (g). Erat prætereà aliud peculiare festum, præcipuè Græcis ὡραῖα, in quo primitias frugum uniuscujusque tempestatis offerebant, sic dictum, quod fieret καθ' ὥραν, quæ vox anni tempus denotat, *Meursius* (*h*). de cane immolato verò nihil. Et huc fortè digitum intendit Occo, quando *blandiri saltem cani*, non verò eundem immolare autumat (*i*), figuram in nummo nostro expressam.

VII.

Porrò non viris solùm, sed & fæminis pietatem, quæ

(*b*) Ep. 34. p. 213. (*c*) In Græc. Fer. Lib. I. & IV. conf. Saubertus Cap. 2. (*d*) p. 334. (*e*) Cap. 12. p. m. 30. (*f*) Lib. IV. fastor. v. 819. (*g*) l. c. v. 815. (*h*) Meurs. l. c. p. 283. f. (i) l. c.

erga Deos est, tributam, varia docent numismata. Inter hæc, quod iterum Thesauro Thomaniano debemus, non ultimæ notæ est Lucillæ numisma æreum, & inscribitur:

LVCILLAE AVGustæ ANTONINI AVGusti Filiæ; & aversus: PIETAS, S.C. Exhibet figuram sinistrâ cornu copiæ tenentem, dextrâque supra aram extensâ.

Fuit hæc M. Aurelii, qui & Antoninus vocabatur, filia, quam in matrimonium dedit L. Vero fratri, imperiique consorti suo. De hoc matrimonio, quomodo fuerit impeditum à malo dæmone, qui Lucillam corripuerit, & posteà, hâc ab Abercio Episcopo Hierapolitano, quem ipse dæmon evocârit, sanatâ, perfectum, admodum fabulosè narrat Baronius (*k*) ex actis Abercii apud Metaphrasten. Illi namque, quorum Capitolinus meminit in vitâ Marci (*l*), & quibus nititur Baronius, *pueri & puellæ novorum hominum, quos frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt ob hanc conjunctionem*, nulli erunt alii, quàm quos in honorem Faustinæ uxoris ipse jam olim instituit Antoninus, & *Faustinianos* appellavit (*m*); & posteà ipse Marcus, auctore eodem Capitolino, in honorem uxoris mortuæ instituit, atque Faustinianos quoque dixit (*n*). Cur enim, si Abercius pro civitate suâ frumentum petiit, solis pueris puellisque distribuatur? dein per conjunctionem illam non vinculum conjugale, sed quo frater fratri & Princeps Principi obstrictus erat, intelligendum. Post hoc matrimonium *nondũ decurso luctûs tempore* invitis filiâ

(*k*) Annal. Ecclef. Tom. II. p. 178. ad A.C. 163. (*l*) Cap. 7. (*m*) Capitolinus in Vit. Anton. c. 8. (*n*) Id. Cap. 26. in Vit. Marc.

filià & uxore dedit *Marco grandævo equitis Romani filio Claudio Pompejano* (o), quæ verò nuptiæ pessimè cesserunt. Auctor namque est Dio, (p) *cùm huic infensa esset, suasisse Lucillam, ut Commodo insidias strueret, eumq; ita perdidisse: mox tamen & ipsam patefacto scelere interfectam esse.* Aliam harum insidiarum prætexunt caussam & exitum Herodianus (q) & Lampridius (r) qui addit: *Ipse Commodus Lucillam sororem, cùm eam compressisset, occidit.* AVGUSTA dicitur confirmantibus Capitolino & Herodiano ll. cc. quam dignitatem, cùm primùm Agrippinæ matri suæ tribuisset Caligula, posteà promiscuè omnes sibi sumsere, testibus nummis.

Aversus egregiè iterum Pietatem sacrificantem exhibet. Aræ namque thus injicit; cornucopiæ autem luculenter ostendit publicum, quod ex hâc Lucillæ erga Deos pietate propullulare credidit Senatus Populusque Romanus commodum.

Huic fæminæ piæ meritò jungimus aliam, quæ tamen aliquanto post vixit. Ea est Julia illa Mammæa Mæsæ filia, quæ ex Varo Alexandrum Severum Imperatorem suscipiens, consilio & auctoritate suâ & filium & se perdidit; (s) hinc Lampridius (t): *Egit omnia ex consilio matris, cùm quâ occisus est.* Conferatur Herodianus & Aurelius Victor in Epitom. (u) cui adeò avara dicitur, ut *illa ipsa qvamvis per modica, si mensæ prandioq; superessent, alteri convivio reponerentur.* Ejus in honorem ut *Antonius Faustinianas*, ita Alexander *Mammæanas & Mammæanos puellas & pueros instituit.* Lampridius (x). *Romæ etiam in palatio fecit diætas nominis Mammææ.* (y)

 Chri-

(o) Capitolin. Cap. 20. In Vit. Marc. (p) Lib. 72. p. 818. (q) Herod. Lib. I. cap. 8. ss. (r) In Vit. Commod. c. 4. (s) Æl. Lamprid. in Alex. Cap. 20. 26. (t) l. c. Cap. 60. (u) n. 40. p. 82. teste m. Herodiano Lib. VI. c. 1. (x) Cap. 57. (y) Cap. 26

Christiana creditur ab Eusebio, neque sine fundamento. Ex historiâ enim vitæ Alexandri constat, (z) illum *Christo etiam rem divinam fecisse in larario suo, illiq; templum facere & inter Deos recipere voluisse.* (a) Christianorum etiam sæpiùs usurpasse hanc vocem: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* (b). Neque ipsis fuisse infensum *Christianis, locum quendam, qui publicus erat, occupantibus?* Quæ sane arguunt, cùm aliàs quoque voluntate matris omnia ageret, & hæc ipsius instinctu perpetrâsse. (d) Nummi, quem Strada (e) exhibet, una facies imaginem præ se fert Mammææ, cùm inscr.

DIVA JVLIA MAMMAEA; altera autem templum quoddam cum areâ, ut videtur, Dianæ Ephesinæ, cum inscript:

PIETAS MAMMAEAE.

Scilicet id laudant, qui cudi fecerunt nummum, quod de eâ testatur Herodianus (f) Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν, ἅπερ ἔτυχεν ἐκεῖνος κινήσας καὶ μεταγαγὼν ἔπεμψαν εἰς τοὺς ἀρχαίους καὶ ἰδίους ναούς τε καὶ σηκούς. Intelligit autem Herodianus mulieres Mæsam & Mammæam, quorum consilio omnia executus est Alexander.

VIII. IX.

Posteà & vasis Pontificialibus notavere Pietatem. Hujus

(z) Æl. Lamprid. l. c. Cap. 29. (a) Id. Cap. 43. (b) Id. Cap. 51. (c) Id. Cap. 49. (d) Conferatur dissertatio historica Dn. D. Christian. Kortholdi de Philippi Arabis, Alexandri Mammææ, &c. &c. Christianismo, Rostochi 1662. habita. Ubi sectione secundâ sub finem, licet neget, Alexandrum fuisse Christianum, Mammæam Christianam fuisse, haud obscurè innuit. (e) fol. 101. (f) Lib. VI. Cap. I.

jus exemplum, nisi alibi vetustius reperiatur, (g) primum ex Oecone cernimus inter nummos M. Aurelii; apud Chou-lium (h) v. Antonini Pii. Uterque noster e thesauro Bosio-Sagittariano Marci est, & inscribitur: AVRELIVS CAESAR AVGusti PII Filius COnSul. Caput Marci nudum imberbe. PIETAS AVGusti, Vasa Pontificialia; capeduncula, lituus, guttus, aspergillum.

Fuit autem aliàs M. Annius Bojonius Verus, & *post adoptionem pro Annio capit vocari Aurelius, quod in Aureliam, h. e. Antonini* (subintell. familiam) *transisset* (i) *Vir*, Victore (k) teste *virtutum omnium calestisq; ingenii, & qui arumnis publicis quasi defensor objectus est*; omnibusque principibus vitæ sanctitate antecelluit (l). Vitam ejus, ne in repetendâ ea longi simus, fusè describit Jul. Capitolinus, & Aurel. Victor; exque aliis collegit, in Horologio Principum Antonius de Gvevara † Libris III. *Ipsum Consulem secum designavit, & Casaris appellatione donavit Pius adhuc juvenem*, quod & noster ostendit nummus, ubi juvenili admodum facie atque imberbis cernitur, qui aliàs erat maximè barbatus. Memorabile est, quod de eo refert Capitolinus: Postquam vitâ

 defun-

(g) Inter Hadriani quidem nummos ap. Occ. f. 171. cernitur unus, Vasa Pontificialia referens, nulla verò fit Pietatis mentio. (h) de la Religion p. 332. (i) Jul. Capitolin. c. 5. in Vit. Aurel. (k) In epitomâ n. 31. p. 68. (l) Jul. Capitolin. l. c. c. 1.

† Hunc Gvevaram Rupertus epist. 21. ad Reinesium *Nugivendum*; & ejus *Antoninum* Ex. Dn. D. Sagittarius Patronus ac Præceptor meus æternùm colendus, *fictitium* esse, nuper admodùm publicè testatus est. Conf. Judicium Martini Sylv. Grabe in synoptic. tabb. Monarchiarum Regnorumqve parallelorum tab. IV.

defunctus esset Pius, capto regimine publico fratrem sibi participem in imperio designâsse, *& Romanum imperium tunc primùm duos Augustos habere cœpisse.* Conferatur Lampridius (*m*) & Spartianus (*n*), qui addit: *Eorum fastis Consularibus sic nomina præscripta, ut dictum sit, non duo Antonini, sed duo Augusti: tantumq; bujus rei & novitatem & dignitatem valuisse, ut fasti Consulares nonnulli abhis sumerent ordinem Consulum.* Aversus autem nummus noster, qui Vasa Pontificialia & Augurale exhibet, ad denotandam ipsius circa res sacras curam pietatemque insignem cusus est. Quam in primis Capitolinus (*o*) l.c. notat, quòd, *cùm jam ante inter Salios* (Martis erant hi Sacerdotes à saltando dicti) *& Præsulis & Vatis & magistri munera obiisset*; postea etiam jam designatus Consul *Sevir* (*p*) *turmis equitum Rom. crearetur, in Collegia Sacerdotum, jubente Senatu receptus sit. Pontificem* igitur ipsum adhuc juvenem, *licet non maximùm*, ex allatis patet, creatum esse, & nummus noster aliqvatenus confirmat. * de quâ dignitate Pontificiâ, ejusque adjunctis signis paucissima jam subnectemus.

Pontificatum, cujus concedendi jus auctoritate Sullæ ferè ad optimates reductum, Cæsar, cujus labore plebi denuò redditum est, primus omnium hæreditario quasi jure ad successores transtulit: Licet Octavius Augustus non ex voluntate Cæsaris, sed multis ab hinc annis, defuncto demum Lepido,

(*m*) In Commodo. (*n*) In Ælio Vero Cap. 5. (*o*) Cap. 4. & 6. (*p*) de Seviratu aliqua habet Reinesius ep. 31. ad Rupertum p. 176. 177. ss.

* Elegantem habet Patinus in thesauro nummum Neronis, cum inscr: SACERDOS COOPTAtus in OMNibus CONLegiis SVPRA NVMERVM EX Senatûs Consulto, conf. Golzium in thes. Rei Antiqvariæ p. 28.

do, summus Pontifex sit creatus. Testantur id ejus nummi apud Occonem, in quorum prioribus usque ad XI. Consulatus annum nunquam dicitur Pontifex Maximus, sed saltem Pontifex. Quem posteà secuti sunt, non interrupto ordine, Imperatores omnes, quotquot à SPQR creati; ut Principum sive Augustorum is honor proprius cum imperio manserit, Cæsares enim non *Maximi* sed tantùm *Pontifices* dicti sunt, confirmantibus nummis. Et hinc est, quòd reperiamus in Inscriptionibus nummisque, ut Pontifex modò *Major*, modò *Minor*, modò *Maximus* appelletur; apud Reinesium in epist. ad Rupertum (*q*) in Veteri Inscriptione:

L. CAESONIO. L. F. QVIRINA. ORCINIO. RVFINO MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO. PALATINO.
PONTIFICI. MAIORI. PRAETORI

& apud Gruter. (*r*)

. . . . VENALIBVS. SACRARIV.
. . . . ANVS. PONTIF. MIN. PATRON
&c. &c.

COLLEGIVM quoque PONTIFICUM sæpius laudetur apud Gruterum (*s*). Notandus iste Plinii locus, ubi de Domitian. Pontif. Rom. Maximo ita ait (*t*): *Quùm Corneliam Maximillam Vestalem defodere vivam concupisset; Pontificis Maximi jure reliquos Pontifices in Albanam villam convocavit.* Appellatio hæc Pontificis Maximi duràvit saltem ad Gratiani us-

(*q*) Ep. 35. p. 283. (*r*) p. 129. conf. p. 360. (*s*) l. sæp. c. p. 13. 132. 200. & alibi. (*q*) Epist. Libr. IV. ep. 11.

usq; tempora. Post qvẽ nemo ampliꝰ ita dictꝰ est, uti Casaubonꝰ (*u*) è Zosimi libro 4. confirmat. Licet enim in Inscriptione quadam Justinus Imp. dictus sit PONT. MAX. id non præcisè PONTifex, verùm potius PONTicus MAXimus interpretandum est, judice Reinesio. (*x*) Conferantur Exercitationes binæ historicæ τοῦ πάνυ B. Bosii, *De Pontifice Maximo Romæ Veteris*; (*y*) *& de Pontificatu Maximo Imperatorum Romonorum præcipuè Christianorum* (*z*)

Additum erat huic muneri alterum illud *Augurale seu Augurum*; unde in nummo C. Jul. Cæsaris aureo apud Occonem: AVGVR. PONT. MAX. COS. QVART. DIC. QVART. & Augusti apud Eundem argenteus: AVGVR PONT COSI TER ET TER DES. conf. Golzius. (*a*) Neque tamen diu hac Augurum appellatione usi sunt, licet signa perpetuò retinuerint, cùm Livio teste (*b*) *Auguratus pars propria Pontificiæ dignitatis & officii extiterit.* Conjuncta namqve videmus signa & Auguratûs & Pontificatûs in nummo isto Julii Cæsaris apud Choulium (*c*), qvem etiam habet Patinus (*d*), cum inscr. AVGVR. & infrà: PONT. MAX.

Signa verò hæc sunt: LITVVS. Est *baculus incurvus*, definiente Servio. Livius (*e*) eum vocat, *baculum sine nodo aduncum.* Cicero (*f*) *nomen ab ejus litui, qvo canitur, similitudine invenisse*, addit, & originem trahere *à Romulo, qvò regiones direxerit, tùm, cùm urbem conderet.* Cui addatur Plutarchus in Romulo. Uterque fingit, *exustâ Româ integrum inventum.* Usum ejus egregiè describit Livius (*g*), & gran-

(*u*) Ad Sveton. August. c. 31. (*x*) In ep. ad Rupert. ep. 31. p. 489. (*y*) Jenæ 1656. (*z*) ibid. 1657. (*a*) l.c. p. 19. (*b*) Lib. I. c. 18. (*c*) l.c. p. 249. (*d*) de fam. Rom. in Juliâ f. 124. (*e*) l.c. (*f*) De divinatione Lib. I. p. 357. C.D. (*g*) Lib. I. cap. 18.

grandiorem ejus figuram è monumentis affert Choulius (*h*) Et hoc *clarissimum est auguratus insigne.* (*i*)

SECESPITA est *cultrum ferreum oblongum manubrio eburneo rotundo solido, juncto ad capulam auro, argentoq; fixum clavis æneis ære cyprio, quo pontifices ac sacrificia utebantur.* Festus (*k*). Dicta autem est secespita à secando. Meminit hujus Svetonius (*l*): *Inter Pontifices sacrificanti simul pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit.* Non unius fuisse figuræ constat è Choulio, qvi aliam plane secespitam adhuc Romæ apparentem affert (*m*), & hanc Saubertus (*n*) vocat *clunadum, cultrum, qvo jugulari solita sit victima*, & Choulium, qvod ipse non intellexerit distingvere *dolabram & secespitam: Illâ enim bostia percussæ deglubebantur, hâc jugulum petebatur.* (*o*)

URCEOLVS sive Guttus, vasis genus est, sic dictus, *quod liqvorem guttatim effundat.* Chonl (*p*) eum vocat preferícule, inquiens: *Le prebstre prenoit le Vin au preferícule, vase ainsi nommé des anciens, qui estoit ordinairement porté par un des ministres, succinct de leurs sacrifices: duquel figure se voit à Rome par un antiqve marbre, où il est dressé sus un autel.*

SIMPULUM & SIMPUVIUM pariter vasculum est, cui vinum infundere in sacrificiis, atque exin litare solebant veteres. Varro: (*q*) *Quod sumebant minutatim, à sumendo simpulum notavere.* Conferatur Festus (*s*), & præcipuè Kippingius (*s*), qui in ejus etymon fusiùs inquirit. Varium erat,

 Fi-

(*g*) Lib. I. cap. 18. (*h*) p. 249. (*i*) Cic. l. c. (*k*) Lib. 17. (*l*) In Tyberio c. 25. (*m*) p. 314. (*n*) de Sacrific. Cap. 17. p. 1392. (*o*) Conf. Choul. p. 253. & 322. ss. (*p*) p. 308. (*q*) de lingv. lat. Lib. 4. (*r*) Lib. 17. (*s*) Antiqv. Rom. lib. I. c. 11. p. m. 254. S.

Fictilis meminit Svetonius (*t*) & *lignei*; Nonnus Marcellus (*u*) Choul l. c. p. 309 binas subjicit Simpuvii figuras, ex quibus diversitatem probè perspicimus. De usu ejus iterum ita disserit: *Il fut observé aux sacrifices des anciens, qve le prebstre dovant qu' il vinst à verser le vin sur la teste de la victime, il le liboit, cest à dire, il le tastoit tout premier legerement avecques le sympulle &c.*

ASPERGILLUM additum erat, quia, ut puri pura sacrificarent, opus habebant lustratione, quæ dicente Sauberto (*x*), AERE, TAEDA & AQVA fiebat, & ne vel victimas, & vasa vel loca, qvod impossibile, vel se totos deberent immergere, aqvæ, spargebant saltem, dicente Didone apud Virgil: (*y*)

Dic corpus properet fluviali spargere lymphâ.

Et in hunc finem utebantur *aspergillo*, quod, Oyselio explicante, *ex equinæ caudæ pilis fuit.* Aquam ut plurimùm in favissis servabant, qvæ ante templa sistebantur, quarum picturam Choul (*z*) exhibet geminam.

Et hæc sunt qvibus Religionem suam sive Cultum erga Deos significabant Romani, adeò constanter, ut in nummis usque ad Constantinorum tempora sint retenta. Omnia simul signa non semper in nummis expressêre Veteres, ut & tres nostri docent nummi, quorum ultimum Salonini adhuc explicabimus.

X.

SALONINVS VALERIANUS CAESar. Caput Salonini radiatum: PIETAS AVGusti, Vasa Pontificialia. Nummum hunc iterum debemus munificentiæ Wedelianæ.

Fuit

(*t*) In Galbâ c. 18. (*u*) de Propr. Serm. Lat. in gener. Vasorum. (*x*) l. c. Cap. XI. (*y*) Lib. IV. Æn. v. 635. (*z*) p. 290. f.

Fuit hic Saloninus Gallieni Imp. filius, nepos Valeriani, cujus nomen etiam cum paterno retinuit. Fratrem habuit Saloninum Gallienum, cujus vitam describit Trebellius Pollio, & Gallienus Minor vocabatur, Noster aliàs dicitur: P. LICINIVS SALONINVS VALERIANVS. Inscriptio vetus ap. Golzium (a): P. LICINIO SALONINO VALERIANO NOB. CAES. PRIN. JVVENT. VALERIANI AVG. NEPOTI GALLIENI ET SALONINAE AVG. FILIO. Eandem habet Gruterus, (b) qui addit: MATER PIENTISSIMA. *Obscurissima* certè *sunt hæc Valerianorum*, fatente etiam Illustr. Ezech. Spanhemio (c) *tempora simul & imperia.* Integrum tamen horum exhibet stemma, qvem seqvimur, Thomas Reinesius. (d). Nos cum Occone Oyselioque hunc nummum filiò Gallieni e Saloninâ natu majori tribuimus. Differt autem à Valeriano illo juniore patruele suo, & à fratre Gallieno; quòd hic quidem Saloninus sed nunquam Valerianus, ille Valerianus, sed nunquam Saloninus fuerit appellatus; ut adeò nummus iste, qvem Occo huic tribuit & Begerus illi (e) cum inscr. LIC. CORN. VALERIANVS N. CAES. & aversâ parte PRINC. JVVENT. nostro potiùs adscribendus esse videatur. Confundunt etiã hunc cum fratre, qui eum in Galliis confidentiùs quàm veriùs tradunt occisum; nosqve Occonis in sententiam imus, *qui bujus in juventà mortui in locum Gallienum minorem Saloninum suffectum, à Gallis sive Posthumi jussu sive minus necatum credit* (f) Dubium Patini (g), Pollio, qui Valerianum Avum, an Victor, qui Gallienum Patrem Saloninum *Cæsarem*

(a) In Impp. titulis p. 72. (b) l.c. p. 275. (c) in differt. VII. p. 595. (d) In Ænigm. Patav. Mantiss. (e) l. vid. thes. ex thes. p. 244. (f) vid. Treb. Pollio in vitâ Sal. Gallieni cap. 1. conf. Spanhem. l.c. (g) In Impp. Numism. p. 417.

ſarem creâſſe, tradunt, uter vera ſcribat? facile ſolvitur. Quòd ſcilicet vel Gallienus Patris Valeriani in honorando ſuo gnato voluntatem confirmârit; vel quòd Victor non per Saloninũ, noſtrum Valerianũ ſed Gallienum filium alterum intellexerit, cùm idem in Epitom. n. 47. p. 90. clarè aſſerat: *Gallienum in locum Cornelii filii ſui Salloninum alterum filium ſubrogâſſe.*

Auguſtus etiam noſter eſt declaratus. Id quod docet tùm averſus nummus, ubi PIETAS AVG. tùm Græcus iſte, quem affert ex Occone III. Spanhemius l. c. ΠΟ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. conf. Oyſelius (*b*); qui averſum noſtrum nummum, quem habet tab. 76. n. 2. explicat: *Deſignare Pietatem Valeriani in adeundo Imperio &c. ut ſcilicet videretur à rerum divinarùm curâ auſpicari.* Id quòd egregiè corroborat, quem adjungit, Caracallæ nummo, ubi lituus, apex, ara cornuta & ſimpuvium, cùm inſcr. DESTINATO IMPERATORI. Verùm, ſi malimus explicare de dignitate Cæſareâ, quæ Pontificiam ſibi habuit junctiſſimam, vel potiùs honoris ergò utplurimum, ſimul conceſſam, non multum fortè aberrabimus, quibus conſtat, ex aliis tantùm non omnibus nummis Cæſares quoque Pontifices factos, utut non Maximos. PIETATIS igitur encomium adjectum eſt, ut oſtenderetur, quòd curâſſe divina non poſſit non PIVM eſſe. Reſtat, ut de coronâ ejus radiatâ pauca annectamus.

De coronis ſcripsêre multi: Pluſimos citat Ioach. Maderus in Notis ad Onuphrii Panvinii de triumpho Commentariũ (*i*) Huic addatur Nicol. Perotti Cornucopiæ ſive in Martialem

(*b*) Ad tab. IIX. n. 7. (*i*) p. 46. 47. Confer. ςεφανοφορίαν M. Schneideri, quæ ſub Præſidio B. Boſii ante annos 24. hic ventilata eſt.

lem Commentario Grammatico, ubi Mnestheũ & Callimachũ apud Græcos de coronis volumina aliqua scripsisse leguntur. Rem paucis complectemur. Frondosæ coronæ omniũ primæ erant, & adversus æstum solis Pastoribus solennes, qvas seqvebantur cæteræ varii generis, laureæ, ex palmâ, tiliâ, aliisque arboribus. Donec hæc ornamenta decus fierent, non amplius promiscuè usurpabantur, præsertim ubi Reges vel Principes eum sibi honorem sumerent. Et hæ coronæ etiam in ludis, quam maximè Græcorum usum habuere; ubi imprimis laurus fuit usurpata, quam quoque sumsere Cæsares, quia hæc fulmina prohibere credita est; vel apium quoque. Postquam viluit res coronaria frondosa in illustribus (præterquam cùm ludorum tempore vitem vel hederam vel alios frondes usurparent) aureæ argenteæve invaluerunt, quæ erant signa Regum, & quos hi mactare hoc voluere honore. Et has jam tempore Davidis in usu fuisse claret è sacrâ scripturâ. Non mansit res in puro auro, argentove, sed gemmæ etiam margaritæqve aliæ pretiosissimæ accessêre. Deorum quoq; capitibus addi coronas honos habebatur, & lariũm publicorum privatorumque item sepulcrorum, & manium, eòque tandem luxuria processit, ut in conviviis sympositisqve coronis uterentur hilaritatis gratia, & ungventa foliis adderent. Militares coronæ fuêre: Triumphalis, Obsidionalis, Civica, Muralis, Castrensis, Navalis & Ovalis, his adde oleaginam. Confer. Maderum l.c. Tandem coronæ in ludibrium etiam factæ. Hinc spineam dulcissimus Servator Jesus gestavit; cupream quoque, & ferream, sed ignitam deprehendimus alibi.

Radiata verò corona fuit gestamen priscorum Regum, quâ se augustiores reddebant. Radii fuisse perhi-

 bentur

bentur XII. juxtà Zodiacum, & præcipuè olim Soli tributi; Dein & aliis Numinibus, & horum imitatione Principibus, *quia argumentum divinitatis quodammodo extitit*. Plinius in Panegyrico. Cur autem hoc insigni usi sint Reges, pluribus exponit Paschalius (*k*); refert nimirum eò, quòd sol sæpiùs dictus sit Rex, Regesque soli sint comparati; & capite sequenti Radiorum duodenarium perfectionem quandam præ se ferre ostendit. Primus, eodem Auctore, radiatâ usus est coronâ Caligula. Hujus tamen nummum non vidimus; & hùc fortè referendus Svetonii locus, in Caligulâ cap 22. Injurius ergò, hæc si verà sunt, in Nerorem judicandus Oyselius (*l*), quando *Neronem hanc sibi coronam arripuisse*, ait. Atque iterum errat Oyselius (tab. IV.n.6.) quando Trajanum primùm loco laureæ usum radiatâ coronâ existimat; Ante hunc enim, ne quid de Caligulâ &, quod ipse fassus est, Nerone dicā, Vespasianus talem gestat coronam. conf. Patini Svetonius f. 387. Post Neronem plurimi alii hàc usi sunt Augusti; de Gallieno tamen speciatim Pollio (*m*), *radiatum sæpe processisse*, commemorat. Hodiè adhuc Magnos Etruriæ Duces tali insigniri coronâ hausimus è Paschalio. Cæterùm λαμπρωτὸς utplurimùm & initio quidem extitisse signum nummi testantur varii. Neque numerus radiorum duodenus semper observatus, modòque *pauciores* modò *plures* ficti. Confer nummum *Neronis* ap. Patin. (*n*) n. f. III. *Alexandri M.* inter nummos Aurelii ibid. f. 239. *Augusti* f. 27 *Tacit.* f. 424. *Caracallæ* f. 352. Et 23. *radiis* (fortè 24.) conspicua est imago *solis* apud Stradam (*o*) n. 19. alte-

(*k*) Libr. de Coronis. IX. c. 10. f. (*l*) Ad tab. VIII. n. 7. (*m*) In vit. Gallica c. 10. (*n*) Numism. Impp. (*o*) In Vit. Impp.

alternatim nunc majora nunc minora habet acumina ista *Augusti s. Tiberii* ap. Patinum (*p*) f. 66. conf. *Caracallæ* apud Stradam n. 124. Rara est ista quoque *Jovis Ammonis* ap. Patin. f. 247. Vertici saltem imponitur, ut non cingat caput, in nummo *Baduillæ* ap. Stradam. n. 294. conf. *Sardi* nummum ap. Patin. f. 25. & super galeam, in *Maximiniani* f. 443. Lauro conjunxit *Caracalla* ap. Stradam n. 124. & *Alexander* n. 143. conf. *Neronis* nummus ap. Patinum (*q*).

Præterea ARA SOLA Pietas denotata est in nummo Sabinæ Hadriani Uxoris, ap. Maurocenum (*r*), & Occonē (*s*), inscribitur: PIETAS AVG. Etiam TEMPLO. veluti nummus iste rarissimus atqve elegantissimus ap. Stradam (*t*), Juliæ Mamææ, cum lemmate: PIETAS MAMAEÆ.

XI.

Insuper etiam neqve ineleganter MERCURIO in nummo, quem æri incisum exhibemus, Carini Imperatoris. inscr.

IMPerator Cæsar Marcus AVRelius CARINUS AVGustus. Caput Carini radiatâ cinctum coronâ; PIETAS AVGusti. Mercurius nudus dextrâ crumenam, sinistrâ caduceum tenens.

Hujus Carini (*u*) contaminatissima atque spurcissima vita à Vopisco litteris mandata est, in quâ nullum nec Religionis nec Pietatis vestigium, ut & ab ipso Parente (Gentili tamen)

(*p*) l. c. (*q*) In Svetonio f. 305. (*r*) vid. thesaur. Mauroceni, Senatoris Veneti, quem edid. Patinus, Cap. VII. p. 25. (*s*) l. c. f. 186. (*u*) Notandum de eo, quòd referente Vopisco, Cæsarianum ea lege tenuerit imperium, ut omnia faceret, qvæ Augusti faciunt.

men) negaretur exclamante: NON EST MEVS;, & hinc *Eidem Cæsareum abrogare imperium, atque eum necare* in animo haberet.

Pietatē verò, omnē adeò abhorruit, ut *defunctis Patre Germaneq; majora vitia & scelera edidisse, quasi jam liber à frenis DOMESTICÆ PIETATIS suorum mortibus absolutus*; testis sit Vopiscus. (*x*) Unde verò in nummo nostro aliisque, quos habet Occo & Patinus, pluribus Pietatis appellatio, ambigimus: Nisi adulatione fortè aliorum vel ludibrio, vel studiosè à Patre, ut tegeret vitia filii id factum. Mercurius aliàs Religionum Deus credebatur, quod ipse primus Religiones invenerit (*y*) Et hinc habemus nummos, in quibus Mercurius, cum epigraphe, RELIGIO, sistitur. Notatu digna est inscriptio: (z)

MERC. SACR.
SVM. DEVS. ALATIS. QVI. CRVRIBVS. AETHERA. CARPO
QVEM. PEPERIT. SVMMO. LVCIDA. MAIA. JOVI

Inter Deos numeratus est Tutelares, iterum testante Inscriptione veteri: (*a*)

MERCVRIO. ET
MINERVAE. DIS
TVTELARR. S.

Unde INVICTUM dixère eum Romani, sine dubio, quando rebus bellicis, quibus aggrediendis ejus opem cum voto

(x) in Vit. Ejus. (y) Confer. Exc. Begeri thes. p. 336. (z) Apud Gruter. p. 53. (*a*) ap. Eund. p. 50.

to priùs imploravere, benè optatòque transactis, ipsius præsens sensere auxilium. Patet hoc è marmore veteri: (*b*)

L. AVRELIVS
AIPOLASTVS
PANTOMIMVS
MEMEIVS
MERCVRIO. INVICTO
VOTVM SOLVIT.

Et sane, cùm in nummis Herennii pariter Etrusci ac Numeriani, qui PRINCIPES IVVENTVTIS dicti, reperiatur (*c*) idem Mercurius, cum PIETATIS AVG vel AVGG inscriptione, Deum Tutelarem verò Mercurium ex illo constet esse saxo, meritò & hâc ratione Carino eundem ut Deum Tutelarem adsignari, & hinc PIETATIS appellationem oriri posse largimur, non impedituri cæterùm, si qui Mercurium à Carino & reliquis præcipuè adoratum esse atq; cultum, intendi opinentur.

Ipsius Mercurii imago (*d*) eadem plane conspicitur in patriâ meâ urbe, in ædibus Peutingerianis, nisi quòd ibi non alatus: sed gallus gallinaceus torvusqve juvencus additi videantur. De origine insignium jam non disputabimus; nota sunt ista de caduceo, quæ & infrà occurrent. Crumenam verò denotare, *quòd ipse aurum sive auri commercium & usum primus invenerit;* & hinc *Aureum Deum ab Ægyptiis dictum esse è* Codino ostendit Patinus. (*e*)

(*b*) è Grutero p. 1016. (c) Patin. N. I. f. 393. & 440. (*d*) Exhibet è Velsero Gruterus l. c. p. 51. (*e*) In N. I. f. 393.

XII.

Affinis huic, quæ *ergà Deum vel Deos erat* Pietati, est illa, quæ, ut ajunt, *divis* exhibetur. Duo talia, at quoad inscriptionem diversa, præ aliis elegantia habemus numismata; Unum apertè profitetur Cajum Caligulam. Inscribitur enim: C. CAESAR DIVI AVG PRON AVG P M TR P III PP & infrà PIETAS. alterum, quod in tabulâ cernitur, nostrum est, & Germanicum nominare videtur. Inscribitur: CAES. AVG. GERMANICUS P M TR POT & infrà PIETAS. ex aversâ parte utrumque DIVO AVG. S. C. inscribitur. Illud habet Occo (*f*) Choulius (g) & thesaurus Thomannianus, Cui & alterum, quem æri incidimus, debemus. Caligulæ tamen ut attribuamus non tantùm utriusque persimilis collatio, sed & historia urget ipsa. Qvamvis namque in nostro C non apertè positum inveniatur, Cajus tamen, qui Germanicus etiam, adscito paterno nomine, dicitur, est intelligendus. Hujus enim inter alia, quæ cognatis exhibuit, pietatis documenta & hoc Dio (*h*) refert: . . . . Τήν τε τηθὴν τὴν Ἀντωνίαν πλεῖστα ὅσα ἐυσεβῶς ποιήσας (ταύτην γὰρ Αὐγοῦσταν τε ἐυθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀποδείξας πάντα αὐτῇ καθάπαξ ὅσα ταῖς ἀπαρθένοις ὑπάρχῃ, ἔδωκε. &c. Hujus rei nobilis testis est nummus, qvem exhibet Oyselius, (*i*) Antoniæ, in quo duæ faces symbolum sunt sacerdotii D. Augusti, quod Antonia gessit, inscrib. SACERDOS DIVI AVG. Facilè igitur claret, quando & à quo nummus noster cusus sit.

Exhibet autem PIETATEM ERGA DIVOS. scilicet simu-

(*f*) f. 78. (*g*) p. 69. (*h*) Lib. 59. conf. Sveton. in Vit. Caligul. Cap. 15. (*i*) tab. CX. n. 11.

simulacrum Pietatis sedens (†) pateramqve dextrâ tenens, sinistrâ innixa partæ imagini litat Augusto DEO, explicante Choulio l. c. Divino namque honore coluisse defunctos parentes dominosque veterem Romam, (*k*) omnium in ore est. Ita Plinius in Panegyrico. (*l*) *Dicavit cælo Tiberius Augustum, sed ut Majestatis Numen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret: Vespasianum Titus: Titum Domitianus, sed ille, ut DEI filius, hic ut frater videretur. Tu sideribus Patrem intulisti.* Et hic mos consecrandi & ad Augustas devenit, confirmantibus id pluribus nummis. Qvò pertinent illa Capitolini (*m*): *Faustina à Senatu consecrata est, delectis Circensibus atque templo & flaminicis, & statuis aureis atqve argenteis.* Penes Senatum igitur Populumque jus consecrandi mortuos (*n*) mansit diu, quamvis Imperatorum preces jussa erant. (*o*) Ideoque non solùm utplurimùm (non enim omnes vidimus) in nummis, ubi vel DIVO AV-

 GVS-

(†) De nummis Cathedraticis nuperrimè Excell. Dn. Joh. Andr. Schmidius, Fautor & studiorum meorum Moderator Optimus ætatem suspiciendus, in Programmate qvodam publico fusiùs egit. (*k*) Neque tamen sub Regibus id solemne erat, licet de *Romulo* constet. Liv. Lib. I. c. 16. Victor. de Illustr. Viris cap. 2. p. 38. De *Cæsare* v. Sveton. in Vit. Ejus c. 88. Florus IV. 2, n. 91. Tacitus I. Annal. c. 11. n. 6. de *effigie Augusti*. Add. omninò Vossius Lib. I. Theol. Gentil. c. 12. (*l*) Cap. II. (*m*) In Vit. Ant. Pii c. 16. (*n*) nunquam vivos. Tacitus Annal. XV. c. 74. n. 5. *Deûm honor principi non ante habetur*, qvam agere inter homines desierit. (*o*) Eleganter Cicero: Ego non tam γοητείαν hujus timeo, qvam πειθανάγκην. Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inqvit, Πλάτων οἶδε, ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. Epist. Lib. IX. ad Attic. ep. 35. p. 491. D.

GVSTO vel CONSECRATIO, vel hæc talia conſpiciuntur, additum eſt S. C. (*p*) ſed & huc pertinent illæ formulæ, apud Spartianum (*q*) *Trajano divinos honores datis ad Senatum litteris accuratiſſimis poſtulavit*, & ibidem: *Nec appellatus eſſet divus* (Hadrianus) *niſi Antoninus rogâſſet.* (*o*) Egregius eſt ille Lampridii locus: (*o*) *Commodum Severus odio, ut videtur, Senatûs inter deos retulit, flamine addita.* (†)

Cæterum ut ad nummum noſtrum revertamur, *Tiberius quidem Auguſto publicè templum ſtruxit, at perfectam, contemtu ambitionis an per ſenectutem, haud dedicavit*, teſte Tacito. (*t*) Hoc poſteà conſecratum eſt à Cajo, & ab Antonino Pio cùm ruinam minaretur, renovatum (*u*). Teſtantur hoc varia numiſmata, apud Occonem obvia, *Antonini Pii* (*x*)

ANTONINVS AVG PIVS TR P XXII.
AEDE DIVI AVG. REST COS IIII. S C. & iterum
TEMPLUM DIVI AVG REST SC COS IIII.

qui ultimus ſeptiès cuſus l. c. reperitur. *Caji.* (*y*), qualis & noſter eſt:

C CAESAR D AVG PRONEPOS AVG PM TR P II PP PIE-

(*p*) Conf. nummos Liviæ ap. Stradam. n. 9. Agrippæ n. 21. Agrippinæ, n. 27. Domicillæ n. 67. neque tamen ſemper, conf. nummum Iuliæ n. 70. Marcianæ n. 82. & noſtrum Pertinacis. (*q*) In Vit. Hadriani Cap. VI. (*r*) Id. l. c. Cap XXVII. Capitolin. in Vit. Antonini Pii cap. 2. (*s*) In Vit. Commodi. c. 17. (*t*) Annal. VI. c. 45. (*u*) Conf. Choul. p. 68. ſs. (*x*) p. 205. (*y*) p. 77.

(†) Ἀποθέωσιν vocat Cicero hanc Conſecrationem, Lib. XII. epiſt. ad Attic. ep. 35. p. m. 491. E.

PIETAS. DIVO AVG S C. ubi utrinque templum, ibi octo, hic sex columnarum conspicitur. & *Tiberii* (z), ubi templum decem columnarum, in cujus medio figura sedet, dextrâ globum finistrâ hastam tenens. Aliũ habet Choul. p. 68. quem & Occo exhibet (*a*), cum inscr. ROM. ET. AVGVST. & in medio. COM ASIAE. Templum est sex columnarum.

Et hunc colendi Majores mortuos honorem variis adhuc aliis expressere modis. Præter enim quod *effigie pateram tenente* (*b*). aut *templo* ut in nostro nummo notetur: *Ara* etiam, super qvam ignis ardens (*c*) aut fulmen repositum (*d*); quandoque & ipse *suggestus*, in quem imago cerea consecrandi reponebatur (*e*), in nummis exprimitur cum inscr. CONSECRATIO, qvales binos habet Choul. (*f*) & tres alios affert Oyselius (*g*). *Aqvila* tamen utplurimum, si vir fuerit consecrandus, fingebatur. Et hæc vel *Sola*, ut in Macriniani nummo apud Stradam (*h*), & Valeriani, Apud Oysel. (*i*) vel *fulmen tenens*, ui in nummo Augusti ap. eundem (*k*) & *ara insidet*, (*l*) vel *globum tenet*, ut in nummo nostro Pertinacis, & apud Oyselium (*m*). Nonnunquam *aqvilâ vebitur Consecratus*, uti M. Aurelius ap. Choulium (*n*) & Oyselium. (*o*) Si autem fæmina esset, aut *pavo* fingebatur, ut in nummo Liviæ Drusillæ (*p*), Juliæ (*q*), Faustinæ (*r*), & Plotinæ (*s*) *aut carpentum*, veluti in nummo isto Marcianæ,

E 3 (*t*), &

(*z*) *p*. 62. (*a*) f. 62. (*b*) ap. Choul. p. 69. (*c*) Ibid. p. 72. Strada. n. 164. Oysel. tab. CIII. n. 8. (*d*) Oysel. tab. ead. n. 7. (*e*) Herodian. IV. c. 2. (*f*) p. 80. (*g*) tab. CII. (*h*) n. 200. & 205. (*i*) tab. CII. n. 7. (*k*) l. c. n. 8. (*l*) l. c. (*m*) tab. CII. n. 12. (*n*) p. 85. (*o*) l. c. n. 11. (*p*) ap. Stradam. n. 9. (*q*) ap. Eund. n. 70. (*r*) ap. Choul. p. 83. (*s*) ap. Stradam. n. 80.

(*t*), & Flaviæ Domicillæ: (*u*) *Aquila* tamen Faustinam in alta rapit. (*x*) Verùm benè annotante Ruperto, (*y*) *templum, ara, supplicatio, modò consecrationis Imperatoriæ signa sunt, modò non sunt, & templum ut consecrationis signum nunquam decernitur vivis . . . . . . ita comparatum est cum carpento.* Hisce signis addi possunt *Corona Radiata*, quâ divus cingitur Augustus ap. Patinum (*z*); & tres illi nummi apud Oyselium (*a*) Faustinæ, *qui equis*; M. Aurelii, qui *elephantis*; & Constantini M. *qui equis*, cui dextra è cælo porrigitur, *vehuntur*. Ubi meritò cum Vossio (*b*) miramur, quòd & Constantini M. Imperatoris illius Christiani consecrationem habeamus. *Benè verò & sensu Christiano* arbitratur, *hanc non de Immortalitate in terris à mortalibus collatâ* (*c*); *sed de cælorum gloriâ donatâ divinitus, accipiendam.*

Hùc pertinet recens iste nummus Saxonicus sepulcralis, quem in honorem Joh. Ernesti demortui cudi fecit superstes Princeps filius, ut non quidem divinitati, æternæ tamen hominum memoriæ traderet. Exhibetur verò PIETAS DOMûs SAXONicæ. Ara est ignitâ cui dextrorsum figura velata, corollam sustollens, sinistrorsum verò armata adstat, absque dubio & sapientiam & fortitudinem Serenissimi Principis excedentis innuunt Religioni litantes: Ciconia verò, quæ ante aram vigilat, notat hanc erga divum Parentem Filii Serenissimi Pietatem. Annuit Deus cæptis, ac pietati utriusque favet, superiùs, symbolo solito, solis radiis emissis. Ex-

alterâ

(*t*) ap. Eund. n. 82. (*u*) l. c. n. 67. (*x*) tab. CIII. n. 6. (*y*) In In epist. ad Reines. 34. p. 220. 221. ss. (*z*) In numism. Impp. f. 27. (*a*) tab. CIV. n. 1. 2. 3. (*b*) l. c. p. 97. (*c*) hoc est, Cicerone dicente *in epistol. ad Attic. modò citatâ*, ut posteritas habeat religionem, & fanum fiat.

alterâ parte inscribitur, IOHANN ERNEST DVX SAX. Jul. Cl. & Mont. Den. Vin. d. 15. Maj Sepult. ibid. d. 8. Jul. A. O. R. 1683. vix. Ann. 55. Mens. 8. Dies. 4.

De Pietate, quæ Religionis nomine venit præcipuè, dispeximus hactenus, nunc de PIETATE ERGA PATRIAM agemus. Hanc Cicero (*d*) dicit *maximam*; & Valerius Maximus (*e*) *Ejus majestati etiam illam, qvæ Deorum numinibus æquetur, auctoritatem parentum vires suas subjecisse: fraternam quoque charitatem æquo animo ac libenti cedere summa quidem cum ratione. Qvia eversâ domo intentatum Reip. statum manere possit: urbis ruina, penates omnium trahat secum, necesse sit.* Duo, quæ tacet Valerius, è Probo (*f*) maximè conspicua sunt exempla, Agesilai, *qui institutis patriæ paruisse, qvam bello Asiam superâsse maluit:* & Timoleontis (*g*) qui *ut patriam servaret liberam, morte Germani redemit.*

XIII.

Non minùs gloriosum est, quod in nummo nostro exhibetur, Bruti factum, qui suam saluti patriæ postposuisse salutem, felicissimo docuit exemplo. Una nummi facies Caput Pietatis exhibet, cum inscr. PIETAS; Altera autem duas manus invicem junctas, amplexantesque caduceum, inscr. ALBINVS BRVTI Filius.

Fuit hic Decimus Junius (*h*) Brutus M. Bruti propinquus

(*d*) Orat. Philippic. XIII. p. 936. E (*e*) Lib. V. cap. 6. Exempl. Memorab. (*f*) In Vitâ Ejus cap. IV. n. 2. (*g*) In vit. ejus cap. I. n. 3. ss. (*h*) Juniæ familiæ splendorem ac gloriam etiam ab exteris cupitam tangit Thomas Reinesius

quus, & ab A. Postumio adoptatus Aulus Postumius Bruti F. Albinus dictus est, (*i*) Adoptionis hujus argumentum est nummus in gentis Postumiæ gloriam cusus, quem exhibet Patinus (*k*) Et variæ ejus appellationis meminit Plutarchus (in Cæs.) Δέκιμος Βροῦτος ἐπίκλησιν Ἀλβῖνος. & Dio: (*l*) Τὸν Βροῦτον, τὸν Δέκιμον, ὃν καὶ Ἰούνιον, Ἀλβῖνον τε ἐπικάλουν. Fuit unus ex iis, qui parricidium contra Cæsarem patrârunt, teste Vellejo Paterculo (*m*) Svetonioque. (*n*) Confirmant & illustrant hæc nummi, qui passim occurrunt, & cætera Conspirantium nomina produnt. Ita *M. Bruti* nummus (*o*), ubi pileus, signum libertatis, & pugiones reperiuntur, cum Inscr. EID. MAR (h. e. Idibus Martiis); hinc Dio: Βροῦτος μὲν ταῦτα τε ἔπραττεν, καὶ εἰς τὰ νομίσματα, ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ, καὶ πῖλεον ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου, δηλῶν ἐκ τούτου, καὶ διὰ γραμμάτων, ὅτι τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ Κασσίου ἠλευθερωκὼς εἴη. *C. Cassii & Lentuli*, una ex parte Libertatis imago, cum inscr. C. CASSI IMP LIBERTAS. ex alterâ guttus & lituus, cum inscr. LENTVLVS SPINT. (*p*) Habemus etiam *Pansæ* cum LIBERTATIS insigni (*q*). Præcipuè quoque manibus junctis cum caduceo id ostendêre *Nervæ*, ubi imago fidei, cum inscr. NERVA. FIDES, & averso in nummo, ALBINVS BRVTI F. (*r*) atque iterum C. PANSA. (*s*) Et sane nescio an non

stius ad Rupertum ep. 31. p. 183. f. Ejus lineam descendentem, *quam curam ipse ait non paucarum constitisse vigiliis noctium*, exhibet ep. 50. ad Eund. p. 464.

(*i*) Conf. Augustinus Episc. Ilerd. de fam. Rom. in Junia p. 382. f. (*k*) fam. Rom. f. 231. (*l*) Lib. 44. (*m*) Histor. Lib. II. (*n*) In vitâ Cæsaris c. 80. ss. (*o*) Patin. fam. Rom p. 142. conf. p. 148. Sveton. in vit. Cæs. c. 81. Conf Dio lib. 47. (*p*) Patin. l. c. f. 69. (*q*) l. c. f. 293. in Vitiâ. (*r*) In fam. Liciniâ. f. 151.

non huc referam, publicum istud elogium: OB CIVES SERVATOS, inter *Nervæ* nummos, *Cassiiq*? M B. utus sane sive veluti conjecturor, D. Brutus se RESTITutorem Populi Romani gloriatus est (*u*). Noster nummus cum jam allatis idem testatur factum.

Manus junctæ enim (1) FIDEI AVT FOEDERIS habent significationem. Huc refer Fidei simulacrum è Gutero (*x*), & Choulio (*y*), & nummos, cum inscr. FIDES EXERCITVVM, & FIDES PROVINCIARVM ap. modò laudatum Choulium (*z*), & Occonem (*a*), alibique. Imprimis huc referendus rarissimus ille sed recentior nummus Helveticus (*b*), ubi tres Viri manus jungunt, & ab adversà parte insignia XIII. Cantonum & sociorum cernuntur, cum inscr. WILHEM TELL VON VRI: STOVFACHER VON SCHVVITZ: ERNI VON VNDERVVALD: ANFANG DESS PVNTZ IM IAR CHRISTI 1296. Confer nummum illum Augusti, cum inscr. FOEDVS P.R. CVM GABINIS. & hinc illud Pythagoræ: Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν. Tacitus (*c*) quoque *Renovare dextras*, pro fœdus ferire usurpat. Nam (*d*) *mos erat Regibus, quoties in societatem coëant, implicare dextras, pollicesq́; inter se vincire, nodoq́; præstringere* (2). CONCORDIÆ signum. Conf. nummus Mammææ ap. Stradam, Faustinæ, & Juliæ Corneliæ Paulæ elegantissimum numisma ap. Eund. (*e*) & alibi. Tacitus (*f*) eas vocat CONCORDIÆ INSIGNIA. Et hinc (3) PACIS quoque emble-

F

(*t*) In fam. Cassiâ f. 69. (*u*) In nummo ap. Patin. l. c. f. 148. in gent. Juniâ ultimus est. (*x*) Vol. Inscr. p 99. (*y*) p 33. (*z*) p 36. (*a*) p. 16. (*b*) conf. thes. Mauroceni Cap. VIII. p 42. (*c*) Annal. Lib. II. c. 58. (*d*) Idem l. c. XIII. 47. (*e*) n. 129. n. 138. n. 139. conf. n. 210. 225. 239. (*f*) Hist. II. c. 8.

blema fingitur, in nummo isto *Trajani* apud Morellium (*g*) inscribitur ΕΙΡΗΝΗ ΚΑΙ ΟΜΟΝΟΙΑ. Trahendus huc nummus iste Ludovici XIV. Galliæ Regis, ubi itidem duæ conspiciuntur manus amplexantes sese, cum Inscr. ÆTERNÆ CONCORDIÆ FRANCIÆ HISPANIÆ. 1660. quem ita explicat Menestrier (*h*) *Cette Medaille regarde la Conclusion de la Paix entre la France & l'Espagne dans l' Isle des faisans, sur les Confins des deux Roy,aumes, le 7. de Novembre* 1659.&c.

Tandem (4) SALVTATIONIS quoque. Hinc ap. Virgil. (*i*) —— *da jungere dextram, da Genitor.*

Cùm verò additus sit caduceus, varia denuò significat. (1) CONCORDIAM. hinc ap. Patinum (*k*) nummus est, ubi Dea CONCORDIA ex unâ parte, ex alterâ duæ caducum amplexantes dextræ conspiciuntur. (2) PACEM, in eleganti illo Augusti nummo ap. Cysellum, (*l*) & Choulium (*m*) cum inscr. PAX. (3) PACEM ET LIBERTATEM, id qvod docet epigraphe in nummis incertis ap. Patin. (*n*). PAX ET LIBERTAS. (4) SALVTEM. ut in aureo numismate ap. Stradam (o) SALVS GENERIS HVMANI. ubi tres manus invicem junctæ caduceum & fasces Imperii tenent. (5) tandem & FELICITATEM, quam denotat caduceus. (*p*)

Et hic diversimodè pingitur: Ipse baculus modò *glaber* est, ut ille ap. Choul. p. 168. modò veluti *gemmatus* ap. Stradam

(*g*) In specim. Numism. Antiqv. Tab. XII. (*h*) loc. supr. cit. p. 8. (*i*) Æn. VI. v. 695. (*k*) in fam. Mussidiâ f. 182. (*l*) Tab. LXXIII. n. 3. (*m*) p. 18. (*n*) de fam. Rom. f. 306. (*o*) n. 5. (*p*) Conf. Pierii Hieroglyph. Lib. XV. c. 41. fs. & Tomasini Vot. Cecrop. p. 57. præcipuè autem Magnifici Dn. D. Wedelii Dec. VI. Exercit. 5. De nummis caduceatis.

dam n. 5. & noster. modò in *bastam* desinit ut ap. Patin. fam. Rom. f. 28. *Alæ* etiam non semper adsunt, ut ap. Patinum in fam. Antoniâ f. 28. Et earum loco modò est *linea transversa* veluti in nostro; modò *spicæ*, ut in illo Titi apud Oysel. tab. 85. n. 8. *Alæ* etiam interdum *duplices*, ut in illo Clodii Albini ap Eund. ad indicandam celeritatem; quibus simul adjunctas habent *spicas* in nummo isto ap. Oysel. tab. 85. n. 8. Tandem *serpentes* etiam diversimodè pinguntur: Nunc enim in medio veluti *nodo aliquo colligantur*; ap. Choulium p. 168. Dein *sese non tangunt*, ut ap. Stradam. n. 5. jam qvasi *superinsident baculo* ap. Choulium p. 26. jam *totum omnino ambiunt baculum*, ut ap. Eund. p. 18. *Capita* invicem habent *aversa*, ap. Patin. (q) & *os*, *ori jungunt* ap. Eund. (r) Rarissima est Mercurii & pulcherrima effigies, qvam reperimus ap. Exc. Begerum (s), olim in aulâ Electorali Palatinâ, quæ Heidelbergæ erat, erecta, in quâ caduceum, quem sinistrâ tenet Mercurius, angves ita cingunt, ut eorum caudas extremas non videamus.

Sed ad Albinum revertimur, ejusque factum, quod ab his laudatum erat, ab aliis rursus culpatum. Summopere illud detestantur Florus, (t) & Valerius Maximus (u), qui *Parricidas* eos dicunt. Cicero verò non satis deprædicare potest Decium, ejusque cædem Cæsari illatam. Illum vocat: (x) *Civem natum Reip., memorem sui nominis, imitatoremq; majorum.* & alibi (y): *Esse quasi Deorum immortalium beneficio & munere datum Reipublicæ Brutorum genus, & nomen ad libertatem Populi Romani vel constituendam vel recuperandam.*

(q) fam. Rom. in Licin. p. 151. (r) Ibid. in Plætoriâ p. 209. (s) In thes. ex thes. p. 15. (t) Lib. IV. c. 7. 1. (u) Val. Max. l. I. c. VII. 2. (x) Philipp. III. p. 858. C. (y) Philippic. IV. p. 867. B.

dam. Et paulò post: *Sic modo decrevit Senatus D. Brutum optimè de Rep. mereri, cùm Senatûs auctoritatem, populiq; Romani libertatem imperiumq; defenderit.* Facto autem hoc *Percussores Cæsaris eam gloriam consecutos esse*, dicit (z) *qua vix cælo capi posse videatur.* & in epist. ad Trebon. (a) Cædem Cæsaris *divinum* nominat *in Remp. beneficium*, *sed ad illam tanquam ad epulas pulcherrimas fuisse invitatum*, optat. Quò etiam referri debet altera nostri nummi facies, quâ PIETAS insignitur: Scilicet innuebant, qui nummum percussêre, Conspirationem illam atque Concordiam in cæde Cæsaris Pium, licet Magnum, facinus fuisse. De ipso Pietatis habitu suprà aliqua diximus.

Alter est, quem huc referimus, Galbæ nummus, inscr.

SER. SULP. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. TR. P.
&
SENATVS PIETATI AVGVSTI S. C.

Habet eundem Occo (b), & Ill. Spanhemius. (c) Nos excusum non exhibemus, sed ob argumenti raritatem nostrum facimus.

Galba verè, Augusto prævidente, *imperium saltem degustavit.* Sveton. (d) & Tacito (e) testibus. *Majore adeò favore & auctoritate imperium adeptus est, quàm gessit, quanquam multa documenta egregii Principis daret, nisi quòd avaritiâ universis propè ordinibus offensus erat.* Sveton. (f). E quibus jam confidentiùs de ratione hujus epigraphes pronunciare possumus. Scilicet gratus erat pluribus Galba absens, & rumor

(z) Orat. Phil. II. p 855. C. (a) Lib. X. fam. ep. 28. p. 175. G. (b) p. 101. (c) l. c. f. 723. (d) in Vit. Ej. c. 4. (e) Ann. VI. 20. B. (f) l. c. conf. Cap. 14. & 16.

rumor saltem opinioqve avaritiæ imminuit aliquantulum famam. Inde enim affirmat Tranquillus, *ob hanc rem adventũ ejus non perinde gratũ fuisse.* Verùm intelligenda hæc sunt non de Senioribus populi, sed populo; addente ipso Svetonio *Proxima id apparuisse spectaculo, ubi exclamatum*: VENIT IO SIMVS A VILLA; cùm credibile non sit, Patres conscriptos solitos voces tollere & applaudere. Et licet populo pariter ac militibus, & utriusque ordinibus fuerit exosus, ob avaritiam, qvæ ratio erit, si Senatus quoque eum odisset, cujus à re tamen fuit habuisse parcum Principem? Omninò igitur persvademur, nummum hunc, cùm capesseret habenas imperii Galba, Senatûs ex auctoritate cusum, & vel ipso solemni festo, quo Urbem ingressus est, missitatum, ipso numismatis emblemate moti. Imponit nimirum insigne principatûs, laurum, Senator Paludato Augusto, qui sanè non Piso est, sed ipse Galba. De illo enim Tacitus nihil, nisi quòd adoptatus, minimè verò Consors Imperii, creatus & Augustus dictus fuerit, commemorat; insuper juxta Victorem (*g*), Hadrianus, vel potiùs, juxta Plinium in Panegyr. primus Trajanus particeps sociusque fuit regni atque Augustus dictus; licet neque de hoc sed Aurelio demum & L. Vero fratribus id affirmet Capitolinus: *tùnc primùm Romanum Imperium duos habuisse Augustos.* Ipse etiam Piso se Cæsarem duntaxat appellet in oratione quadam ad Cohortes (*h*). Ut adeò, quamvis non obstaret, breve illud quatriduum, quod inter adoptionem & cædem fuit, intervallum, nihilo secùs Piso non posset hoc nummo significari. Stat ergò sententia, ob declarandum Senatûs erga Galbam affectum, jamjam Remp. adituum, hunc nummum cusum esse; an vero sub ipsum statim

F 3 urbis

(*g*) de Cæsar. n. 13. p. m. 155. (*h*) ap. Tacit. hist. l. c. 29.

urbis ingressum, quod verisimile est, jam non litigabimus. Nummis autem, quibus PIETAS erga Patriam (licet non semper ipso emblemate) notatur, accensuimus eò, quia inter nummos Ejus, quos longo ordine recenset Occo, plures deprehendimus, hujus rei manifesta vestigia, quæ ROMAM RENASCENTEM, LIBERTATEM PVBLICAM, LIBERTATEM RESTITVTAM, SECVRITATEM P. ROMANI OB CIVES SERVATOS, VICTORIASQVE P. R. certatim produnt. Quò referenda fortè illa apud Gruterum Inscriptio Vetus: (i)

IMAGINVM. DOMVS
AVG. CVLTORIB. SIGNVM
LIBERTATIS. RESTITVTAE
SER. GALBAE. IMPERATORIS. AVG
CVRATORES. ANNI. SECVNDI.
&c. &c.

Quibus omnibus noster concordat nummus, utpote in quo Senatus Pietatem Augusti (absqve dubio, quâ nutantem juvit patriam) deprædicare videtur.

Hùc quoque pertinet Trajani nummus, quem nobis suppeditat Occo (k) & inscribitur:

IMP. CAES. NERVAE. TRAIAN. AVG. GER, DAC PIETAS. PERPETVA Figura stolata stans, dextra caduceum, sinistrâ cornucopiæ tenens.

Fuit Trajanus Princeps omnium virtutum laude cumulatissimus. Recenset eas, & nimium extollit Plinius in Panegyrico, in quo verè adulatus est. Conqueritur Schottus intercidisse eos, qui Trajani vitam copiosiùs litteris mandârint, Mari-

(i) p. 238. (k) p. 150. & 15.

Marium Maximum, Fab. Marcellinum, Aurelium Verum, Statium Valentem, quos omnes laudat Lampridius (*l*). Succinctam tamen ejus vitæ historiam habet Aurel. Victor (*m*), qui *Eum justitiæ ac juris humani diviniq; tam repertorem novi quam inveterati custodem* prædicat. Cui omninò consentit Plinius l. c. qui addit: *reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi verò quanta Religio æquitatis, quanta Legum reverentia!* Fuit hic Princeps tantâ quoque erga omnes Pietate, (*n*) *ut decedentem Nervam lacrymis primùm, mox templis honoraverit; cum civibus quasi cum liberis pater vixerit; delubra etiam nonnisi adoraturus intrârit, eiq; maximus honor excubare pro templis postibusq; extiterit.* Unde meritò exclamat Victor (*o*) *quid Trajano divinius!* Et Pietatem subditorum erga tantum Principem sæpiùs provocat Plinius, modò *Parentem Nostrum*, modò *Parentem Publicum*, *Parentem Principatûs*, denique etiam *Patrem* appellitans. Egregia sane hujus Trajani, si ærea saltem consideremus, restant monumenta, quorum haud postremum est hæc PIETATIS PERPETVAE nuncupatio. Solemne est in nummis Trajani *perpetua* dicere, *Romam*, *Imperatorem*, *Abundantiam* ac denique *Pietatem*. Scilicet, cùm optima quævis non tantùm sibi polliciti fuerint Romani, sed adepti quoque sint sub ejus regimine, factum est, ut perpetua sibi optarent ista bona, etiam vocitando perpetua: quâ appellatione ad prosequenda ea, quæ cupiebant diu duratura, Principi stimulos addere volebant. Et hæc ejus erga Patriam Subditosque suos Pietas, conjuncta Sapientiæ atqve Abundantiæ significatur figurâ hâc stolatâ caduceum ac cornucopiæ tenente,

(*l*) In Alex. Severo. (*m*) In Epit. n. 17. p. 65. conf. de Cæs. n. 13. p. 253. ss. (*n*) laudante eodem Plinio. l. c. (*o*) In Epitom. n. 14. p. 50.

te, quæ duo ſemper omnigenæ, quam ſapiens acquirit, felicitatis inſignia extitere. Sapientiam quidem ejus oſtendunt, qui victorias & reliqua amiſſa reſtituta laudant: præcipuè vero Felicitatem, quæ exin Populo Romano obtigit, notant nummi, in quibus ALIMentum ITALiæ præbuiſſe laudatur (*p*).

Dein hâc ergâ patriam pietate claruêre etiam Auguſtæ, *Julia Sabina*, & *Julia Domna*, illa Titi filia Sabino nupta, ſed à Domitiano perditè amata; hæc Severi Uxor: PIETATEM de ſe prædicantes PVBLICAM. Publicum autem eſt, non ſolùm, quod omnia perora virum volitat, ſed *quaſi populicum, quod non privatim alicujus, ſed populi eſt.*(*q*) Quô ſenſu VOTA PVBLICA in nummo Auguſti apud Occonem (*r*), FIDES PVBLICA in Veſpaſiani (*s*), FELICITAS & LIBERTAS PVBLICA in Galbæ nummis (*t*) SPES PVBLICA in Titi (*u*), pro quo in nummo Fauſtæ & Juliani ſæpius SPES REI PVBLICAE ponitur (*x*), & hæc talia plura legimus. Et ſic PIETAS PVBLICA eſt ea, quam ſibi gratulari habet populus, cùm ejus ſerviat commodis. Hinc *Julia Sabina* nummo (*y*), cujus inſcr.

PIETAS PVBLICA.

Pietate dextrâ aliquid porrigere visâ puerulo ad pedes ſtanti, ſiniſtrâ elatâ etiam cum paterâ frugibus plenâ: & *Julia* Severi Uxor alio (*z*), cujus eadem inſcriptio, figurâ ſtolatâ, ſtante expanſis manibus coram arâ: ſuam erga cives notavere pietatem; Illa quidem ſub munificentiæ, hæc Religionis titulo.

XIV. Ne-

(*p*) apud Occonem p 152. (*q*) Nic. Perottus in Comment in Martial. Epigr 3. (*r*) f. 31. (*s*) f. 111. (*t*) f 100. (*u*) f. 120. (*x*) ap. Patin. N. I. f. 468. & 496. (*y*) Ap. Occon, f. 141. (*z*) Ap. Eund. f. 282.

XIV.

Neque omittendus hic est rarus ille *Theodoræ*, quem è thesauro Bosio-Sagittariano exhibemus, nummus æreus, inscr.

Flaviæ MAXimianæ THEODORAE AVGustæ, subintell. effigies. Caput laureatum Theodoræ.

PIETAS ROMANA, figura muliebris infantem lactans. Habet eundem nostrum nummum Patinus (*a*), & Occo (*b*) quinquies. Uterque tribuunt Constantii Chlori alteri Uxori, filiæ Maximiniani, *repugnantibus licet*, ut ait Patinus (*c*), *amicis, qui eam Iustiniani uxorem censeant*. Ill. Ezechiel Spanhemius (*d*) Theodoram Maximiniani Conjugem asserit, & hunc illi nummum adscribit. Duas habuisse Constantium uxores: Unam Helenam Constantini M Matrem, quam jussu Diocletiani Imp. abjecit; & alteram Theodoram Herculii Maximiani, cujus uxorem dicit Spanhemius esse, privignam, auctor est Aurel. Victor(*e*). *Iustiniani uxori*, cùm hæc nunquam Romæ degerit, ejus etiam ævo Totilas sæpiùs Romam diripuerit ac vastârit, imò de imperio absciderit, quomodo PIETAS ROMANA tribui queat, maximæ moveri possunt lites, præcipuè, cùm illa ratio, quam ex ore amicorum suorum suppeditat Patinus, quòd *maritum ipsa monuerit, & ab insidiis liberaverit*, futilis plane sit, neque ullo modo nummi nostri argumento ac emblemati congrua. Dein non Theodoram sed Eutropiam Maximiniani fuisse uxorem, omnes testantur nummi, & Victor (*f*). Nos igitur

G cum

(*a*) & in Numism. Impp. f. 450. & in thesauro Numism. p. 92. (*b*) f. 441. (*c*) In thes. l, c. (*d*) l. sæp. c. p. 721. (*e*) In epitom. n. 54. & 58. p. 98. & de Cæsaribus in Diocletiano p. 206. (*f*) In epitom. n. 56. p. 101.

cum Occone Patinoque Constantii Chori conjugi attribuimus præsentem nummum, quæ non tantùm Romæ utplurimùm vixit, verùm etiam ex habitu Romana esse creditur. Non enim sede Imperii Constantinopolim translatâ ampliùs laureas invenimus coronas, quæ in nostro, & illo, qvem in thesauro Patinus habet, clarè conspicitur, Augustis vel fœminis vel Viris Romæ fuêre solemnes.

Aversus Pietatem ejus erga patriam elegantissimè exprimit figurâ parvulum lactante. Cùm enim naturalis matrum erga recens natos infantes sit instinctus, ut illos lacte suo alant foveantqve, neque mater habeat, quo magis suum gnato testetur affectum, meritò hoc emblemate signatur, quo alios natorum instar complectimur, amor. Et hinc Romani, vel Princeps ipsa, ut videtur, suum erga patriam amorem hocce svavissimo symbolo apertissimè declaravit, & PIETAS ROMANA, non quam illi sibi, sed ipsa iis deberet, inscribi curavit. Talis figura, sed binos lactans infantes, expressa etiam est in isto Faustæ nummo, cum inscr. SPES REIPUBLICAE (*g*), licet hôc crescens Constantini M. in filiis spes intendatur. Cæterùm noster nummus aliis plane absimilis est. Neque enim TR. P. signum Tribuniciæ Potestatis, vel TR. S. vel TR. O. qvas fortè litteras in nostro ærugo absumsit, apparent, neque, uti in Patini nummis, figura dextrorsum respicit, & erecta est, in vestitu etiã, aliqua deprehenditur differentia, cùm nostra pallium colligat, illæ autem remittant, uti ocularis inspectio monstrat. (*)

Sequi-

(*g*) Ap. Patin. Numism. Impp. f. 468.

(*) Nobile est illud Ludovici XIV. Franciæ Regis exemplum, quo pauperum curam sustinuit. Celebratur istud publicè in nummo,

Sequitur PIETAS ERGA SEPERIORES. Hoc sensu enim non rarò PIETAS usurpatur. Apud Tacitū (b) egregius locus est: *Salvius Titianus Ottonis frater nullum discrimen adiit, PIETATE & ignaviâ excusatus.* & ap. Lampridium (i) Alexander Severus in Sermone ad P. C. *Enisurus*, inquit, *ut & hoc nomen, quod in imperiū detulimus, tale sit, ut & ab aliis desideretur, & bonis, vestrâ Pietatis judiciis offeratur* hinc Ill. Spanhemio (k): *Romanis ex aquo celebrabatur Pietas Principis cùm erga Deos, tùm in liberos ac subditos, pro utraq; nominis illiq ratione; & rursus pietas subditorum erga Principem, ut parentē communem, aut etiam Numen tutelare &c.* Plinius in Panegyrico: *Hoc primum erga Optimum Imperatorem Piorum civium officiū est &c.* & iterum: *Age* (Cæsar, *si quando pietas nostra silentium*

nummo, quô fœmina feminuda duobus pueris, unum ulnis gestans, alterum manu ducens, blanditur, & inscribitur: ALENDIS ET EDVCANDIS PAVPERIBVS. PIETAS. MDCLVI. ad quem Meneſtrier T. c. p. 7. *Cette medaille regarde la declaration du Roy, pour l' etablissement d' un Hopital general, où la Charitè, la Piete & la Magnificence du Roy, eclatent par l' entretien d'un tres-grand nombre de pauvres, le 27. Avril 1656.* Et aliud ejusdem, quo patriam fame pressam suâ juvit Munificentiâ. Perpetua ut hujus rei memoria permaneret, percussus nummus est elegantissimus, ubi duæ fæminæ, una quæ distribuit, altera cum nudis duobus filiis cibo, inhiantibus, quæ supplex panem expectat, sistuntur, cum inscr. FAMES. PIETATE. PRINCIP. SVBLEVATA. & infrà. MDCLXI. Nummum hunc iterum exhibet Meneſtrier p. 10. & explicat: *Dans un temps de necessité publique le Roy soulagea le peuple par des distributions de blé & de pain cuit aux Tuilleries. 1661.*

(b) Hist. II. Cap. LX. n. 4. (i) In Vit. Ejus Cap. XI. (k) l. c. p. 622. f.

lentium rupit. Et hinc *κατ' ἐξοχὴν* impietas pro Crimine læsæ Majestatis sumitur quoque in illo Dionis Cassii: (*l*) *τάσδε δίκας τὰς τῆς ἀσεβείας οὔτ' αὐτὸς ποτε ἐδέξατο, οὔτ' ἄλλοις ἐπέτρεψεν.*

XV.

Hæc illustratur egregiè nummo isto Timothei Græco, quem plumbeum saltem possidet thesaurus Bosio-Sagittarianus, & inscribitur:

ΤΙΜΟΘΕΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ.

Exhibet nudam barbatamqve ejus effigiem humeros pallio vestitam. Alterâ ex parte figura est f. Sacerdos velatus, pateram super arâ effundens, ad quam supra columnam, quam ambit serpens, Bacchus seminudus sinistrâ ficus palmitem, dextrâque hastam tenens, juxta aram alia parva est, ubi vasculum repositum, cum inscr.

ΙΕΡΟΝ ΕΥΣΕΒΕΙΑ.

Duo fuêre Timothei: Unus Cononis sed nothus filius (*m*); alter è gente Eumolpidarum, cujus meminit Tacitus (*n*) *Antistes Cærimoniarum* f. *ἱεροφάντης*, uterque Atheniensis. (*o*) Utri igitur adscribendus est nummus? Totam illius historiam satis amplam perscrutantibus, nihil congruum occurrit; Hujus nullam nisi unicam apud jam laudatum Tacitum mentionem brevissimam reperimus. *σύγχρονος* est hic Ptolomæi primi illius & Soteri, cujus numismata varia extant.

Reli-

(*l*) Lib. 66. in Tito. (*m*) Probus in Timothei vitâ. (*n*) Histor. L. IV. c. 83. (*o*) conf. Meursius in Eleusin. c. 13.

Reliqua de hoc Timotheo ſunt ignotà: nihilo-ſeciùs tamen, quia conjecturis aliquid dandum eſt, hunc non illum numiſmate hoc innui, perſvademur.

ἱεροφάντας autem *Veſte*, *comâ* & *ſtrophio* fuiſſe inſignes, ex eòdem Meurſii docemur loco. (*p*). Imprimis Plutarchus in Alcibiade: Ἔχοντα στολὴν οἵανπερ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερὰ, ne confundamur, ac ſi perpetuò iſtâ uſus eſſet ſacerdos ſtolâ. Non enim veriſimile eſt, *eundem*, quod Euſebius, *in effigiem creatoris ornatum* proceſſiſſe foràs. Neque in nummo noſtro ſtolâ, ſed pallio, quod communem Græcorum fuiſſe veſtem docet Tertullianus (*q*), ornatus cernitur Timotheus: ſacerdos autem in averſà parte ſtolatus apparet. Tenuioris telæ fuiſſe ſtolam hanc, ipſe nummus elegantiſſimè oſtendit, ubi ſingula ferè membrorum perſpici poſſunt. Cælator in ectypo id minùs curatè obſervavit.

Comâ etiam inſignis eſt Timotheus, cincinnatâ & criſpâ; neque *ſtrophium* deeſt, ſive faſcia, non virginum illa ſed ſimilis, qvæ ſtolam ſubter pectus continet.

Neque verò ex hiſce modò requiſitis ſacerdotalibus noſtra de Timotheo ἱεροφάντῃ cenfirmatur conjectura, ſed & reliqua id docent.

Octavo namque die (feſti Eleuſinii) Epidauria celebràſſe Athenienſes, è monumentis Græcorum fuſiùs oſtendit Meurſius (*r*). Hôc, qui primò neglexiſſent, aut initiari fortè non potuiſſent, initiari moris erat, & ſecunda ſacra fieri. Unicum è Meurſio Philoſtrati (*s*) exſcribamus locum: τὰ δὲ Ἐπιδαύρια μετὰ πρόῤῥησίν τε, καὶ ἱερεῖα, δεύτερον μυεῖν Ἀθηναίοις

(*p*) l. c. (*q*) in libro de pallio. (*r*) l. c. Cap. 29. (*s*) de Vit. Apollonii Lib. IV. Cap. 6.

πάτριον ἐπὶ θυσία δευτέρα. Ταύτῃ δὴ νομίσαι Ἀσκληπιοῦ ἕνεκα, ὅτι δὴ ἐμυήσαντο αὐτὸν ἥκοντα ἐπιδαυρόθεν ὀψὲ μυστηρίων. Epidauro autem ſerpentem eſſe dicatum, omnis clamat antiquitas. Porrò Bacchum eſſe, licet haud videbatur primo intuitu, qui columnæ inſiſtit, ex eo patet, quod ſeminudus eſt, qualis Minerva nunquam pingitur. Dextrâ tenet facem, quam in his feſtis ipſi tribuunt(*t*); ſiniſtrâ verò aut vitis aut ficûs palmitem. Qvod juxta altare eſt poſitum vaſculum, plemochoam (*u*) crediderim; dicebatur aliàs quoque κοτυλίσκος. Hùc refer illud Heſychii: τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχόας. Denique ipſa inſcriptio ſuffragatur. Conſtat namque, *portam, quâ exibant, viam & ſuburbium, in quo ficus, ἱερὰ dicta*, ut nullum dubium ſit, quin & initiati, *cùm inſontes ſolummodò admitterentur, impii omnes arcerentur*, pii & ἱεροὶ ſint vocati. Ut adeò ΙΕΡΩΝ per genit. plural. O pro Ω poſito eſſet explicandum,

SANCTORVM PIETAS, &c.

erga Timotheum, quem hoc honorant numiſmate. Exempla ſatis multa habemus in Grùterianis Inſcriptionibus, E pluribus duas ſaltem annotabimus. Prima eſt (*x*):

ΚΑΙ ΗΟΙ[illegible]ΙΟΝΕΣ
ΔΕΜΕΤΡΟΣ ΚΑΙ
ΚΟΡΕΣ ΑΝΑΘΕΜΑ
ΚΑΙ ΦΘΟΝΙ
ΟΝ ΘΕΟΝ

Altera eſt Neapoli (*y*).

TOIS

(*t*) vid. Meurs l. c. Cap. 27. (*u*) Id. cap. 30. (*x*) f. 27. (*y*) f. 428.

Meliora ac probabiliora invenire non potuimus. Hinc, si rem acu non tetigerimus, vulgâsse nummum rarissimum sufficiat, aliorum conjecturis rem permissuri.

Ad illustrandam porrò, quæ erga superiores dicitur, Pietatem haud parum affert egregius ille, qui apud Golzium *(z)* occurrit, nummus Vespasiani, qui inscr.

PIETATI POPVLI ROMANI.

De hujus & argumento & emblemate cùm nihil amplius nobis constet, ulteriùs & fusius explicare, non datum est.

Præcipuè tamen etiam hùc referendus nummus frequentiùs inter Pii, L. Veri, & Commodi numismata obvius, qui inscribitur:

PIETATI SENATVS.

Exhibet hic duas figuras togatas jungentes dextras; quarum una sinistrâ syngraphas, Patrem, altera sceptrum tenens, Principem denotat. Scilicet, *Pietati Senatûs,* dicente Plinio in Panegyrico, *cum modestiâ Principis felix speciosumque esse certamen,* ostendit. Corroborant hæc elegantissimè inscriptio ista in honorem Vitellii Patris erectæ statuæ: PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM *(a)*; & acclamatio ista in inaugur t one Pertinacis: PRAETORIIS COHORTIBVS FELICITER! EXERCITIBVS ROMANIS FELICITER!

(z) In thes. Rei Antiqu. p. 8. *(a)* Apud Svetonium.

TER! PIETATI SENATVS FELICITER! (*b*) Primus qui hoc argumentum & emblema refert Pii nummus Senatus consulto percussus est, quem imitatus Commodus, aureum recudi jussit, fortè ut animos Patrum caperet (†).

Frequentissima autem reperitùr PIETAS ERGA PARENTES. Hùc pertinet *pietas*, cujus nimiæ rea habebatur *Sevilia*, apud Tacitum; (*c*) *Agricolæ*, qui ad *solemnia Pietatis*, qvæ describuntur ab eod. Tacito (*d*), Svetonio (*e*), & Valerio Maximo (*f*), matris defunctæ ergo instituta profectus est; (*g*) *Attici*, de quo videatur Cornel. Nepos (*h*), *Mnemonis* etiam, *qui, cùm matris suæ scelere amisisset uxorem, tantùm induisisse dolori, ut eum Pietas vicerit*, laudatur ab eodem (*i*). Lam-

(*b*) Ap. Lamprid. in Vit. Commod. Cap. 18. (*c*) Annal. XVI. c. 30. 31. 32. (*d*) Hist. III. c. 25. (*e*) Sveton. in Caligulâ Cap. 15. (*f*) Lib. II. Cap. IV. n. 7. conf. Dio Lib. 37. de bello Mithridatico, ubi de Cæsaris munere gladiatorio defuncto Patri edito quædam affert. (*g*) Tacit. Agric. III. (*h*) In Vit. Ejusd. Cap. 17. (*i*) de Regib. Cap. I. conf. notas B. Bosii ad hunc locum.

(†) Referenda hùc Ludovici XIV. R. G., pietas, ut vocatur, erga Clementem IX. Papam, in finiendâ istâ famosâ de injuriis, ut vult aula Gallicana, Lavardino Advocato Legatoqve Ludovici illatis, controversiâ nobili. Confirmatur ea egregio nummo in honorem Ludovici cuso, qui inscribitur: VIOLATAE MAIESTATIS MONVMENTVM ABOLITVM. & infrà: PIETAS OPTIMI PRINCIPIS ERGA CLEMENTEM IX. M DC LXVII. Figura quædam velata dextro pede calcat dirutam pyramidem, qui inscr. IN EXECRATIONEM DAMNATI FACINORIS A MILITIBUS CORSIS PATRATI CONTRA ORATOREM REGIS CHRISTIANISS. XII. KAL. SEPT. M DC LXII. & sinistra ceream, dextrâ verò cru-

Lampridius (*k*) prædicat Alexandrum Severum, *quòd in matrem Mammæam unicè PIVS fuerit.* & Pollio (*l*) ita usurpat hanc vocem, cùm ait: *Non pudore non PIETATE commotus est.* expresse etiam *filii* nuncupat *pietatem* Plinius. (*m*). *Et hæc Pietas parentum injurias æquo animo ferre debet*, teste Cicerone (*n*). Exemplum satis luculentum nobis præbet Probus in Cimone (*o*) & Justinus (*p*). Domesthenem his contrariari asserit Rutgersius (*q*) qui (*r*) *non patris caussa sed ob affectatam tyrannidem multatum Cimonem scribat.* Berneggerus tamen (*s*) utrumque sed diversis temporibus factum credit. Conferatur omninò Valer. Maximus (*t*), qui singulare caput *de Pietate in Parentes* contexuit.

Ut verò è nummis & inscriptionibus monumenta producerem, tantùm non semper ipsi parentes filiis defunctis filiabusque laudem pietatis tribuisse, quando eos *piissimos*, *pientissimos*, *sanctissimos* vocitavere, deprehendimus. Et huc pertinent omnes eæ inscriptiones atque epitaphia, (*u*) quæ parentibus mortuis erexere filii, & his illi. Binas afferam (*x*):

H MENA-

crucem tenet, qvam super thuribulum ignitum, quod in ara repositum est, protendit, Menestrier l. supr. c. p 13. ita explicat: *Le Roy en faveur du Pape Clement. IX. permet d'abbatre la pyramide dressée à Rome pour laisser à la posterité un Monument public de l'attentat commis contre son Ambassadeur. La Pieté du Roy fait ce sacrifice à la Religion.* 1667.

(*k*) Cap. 26. In Vit. Ejus. (*l*) In Gallieni vitâ. (*m*) In Panegyric (*n*) Orat. pro A. Cluentio. p. 355. B. (*o*) Cap. I. (*p*) Lib. II. c. 15. (*q*) In Var. Lect. (*r*) In Oratione contra Aristocratem. (*s*) in notis ad Justini l. c. (*t*) Lib. V. Cap. IV. (*u*) Ap. Gruter. p. 729. usque 748. (*x*) p. 733.

MENALIAE. ET. AGATHIAE
PARENTIBVS. SANCTISSIMIS
EPAPHRAS
POSTREMVM PRAESTITIT OFFICIVM &c. &c.

(y) D. M. S.
MEMMIAE. CARETOSAE
VIC. ANN. LXXXX. M. III.
F. F. PIENTISSIMI

Et hæc quidem erga parentes Pietas ferè ſolo Æneæ iſto famoſo facinore ſolet pingi, quòd luculenter admodum in nitidiſſimo noſtro nummo repræſentatur. Paulò fuſiùs ut meretur, perſeqvemur nummi argumentum. Nummum hunc iterum plumbeum modò è nummophylacio Boſiano accepimus, argenteum tamen, qui nec ipſe genuinus eſt, habet theſaurus Wedelianus.

XVI.

Præ ſe fert anticâ caput & faciem Æneæ cum inſcr. ΑΙΝΕΙΟΥ; poſticâ autem parte oſtendit ipſum Æneam, uti Trojâ Anchiſen patrem, qui dextrâ vaſculum aliquod tenet, cervicibus ipſius incubantem, exportat, præeunte filio Julo, cum ſubſcriptione:

ΕΥΣΕΒΕΙΑ.

Æneas heros Trojanus, filius creditus eſt Anchiſæ & Veneris, ipſo teſte (z):

Αὐτὰρ ἐγὼν, υἱὸς μεγαλήτορος Ἀγχίσαο

Εὔχο-

(y) pag. ead. (z) ap. Homer. Iliad. XX.

Εὔχομαι ἐκγεγάμεν, μητὴρ δέ μοι ἐς' ἀφροδίτη.

Deducit vero gentē suam usq; ad Jovē, qui Dardanū genuerit, & porrò. Benè verò notat Livius ad partum Romuli Remique (a): *Vestalis seu ita rata, seu quia Deus auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis patrem nuncupat;* id quod hùc ferè applicari potest. Hic, postquam sedes patria Iliumque, ut ajunt, forte ipsius simul culpâ, captum esset, terras reliquisse patrias, Latiumque petiisse, dicitur. Iter ipsius describunt Virgilius, Livius, Strabo, Aur. Victor, aliique. Scilicet sedes fixas tandem in agro Laurenti invenit. Hic multùm vexatus bellis, Turnum Rutilorum Regem, cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat, vincit. Secundum dein cum Rutilis prælium Æneæ ultimum operum mortalium fuit (b): Situs est super Numicium fluvium (c). *Creditum est, vivum eum cœlo absumtum. Idemq; tamen post ab Ascanio, & quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam, eo habitu armisq;, quibus in prælium processerat. Quæ res ei immortalitatis famam confirmavit. Itaq; illi eo loco templum consecratum, appellariq; placuit JOVEM INDIGETEM,* Livio, Ovidio, & Victore testibus. Livius addit, haud procul à Thessalonicâ urbem quandam esse nomine Æneam (d), *quæ quotannis cum magnâ cerimoniâ sacrificium conditori Æneæ faciat.* Huic consentit Victor: (f) *Æneam primùm Thraciam appulsum, Ænum ex suo nomine condidisse.* Cluverius (f) certè adhuc hanc urbem obser-

(a) Lib. I. c. 4. (b) Lix. I. c. 2. Aurel. Victor. Orig. Gent. Rom. p. 14. (c) Ovid. Metam. Lib, XIV. fab. 7. v. 604. ss. (d) Hùc referatur nummus ille, quem posteà è Patino afferimus, in honorem Augusti cusus, Segestanorum. (e) In Orig. Gent. Rom. p. 10. (f) Introd. in Univ. Geogr. Lib. IV. cap. 14.

servat, *Ænus*, inquiens, *ab Æneâ profugo condita, paulumq; à mari recedens, ingens quendam cypsella.* Quæ omninò ἀποθέωσιν Æneæ confirmant.

Vultum ejus quòd attinet, virilis est, ac serius cum aliquâ venustate conjunctus, barbam alit hispidam, & mediocriter promissam, subcrispam tamen atque intortam. Describitur à Darete (*g*), quòd fuerit, *Rufus, quadratus, facundus, affabilis, fortis consilio, pius, venustus, oculis hilaribus & nigris.* Caput nudum est, capillis in altum surgentibus. Qvid vero per hanc capitis nuditatem indigitetur, non patet. Hoc certum est, ingenuos quosvis Romanos primùm nudo incedere solitos capite, præter diebus Saturnalium, ita, ut libertatis signum extiterit, docente Joh. Chokier (*h*). Sanitatis stabilimentum asserit, Alexander ab Alex. (*i*) Deos etiam, ut plurimùm nudo finxere capite.

Habitus illius paludamentum est, quod genus vestimenti peculiare erat belli ducibus ac Imperatoribus, Consulibus etiam, ita tamen ut illorum purpureum, horum coccineum fuerit (*k*). Hinc Cicero (*l*): *Pansa noster paludatus profectus est*, & Claudianus (*m*):

Agnoscunt proceres, habituq; Gabino
Principis, & ducibus circum stipata togatis,
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.

(*n*) Vocatur aliàs chlamys, quæ vestis bellica erat varii generis.

(*g*) de Excid. Trojæ. (*h*) Fac. hist. Lib. I. c. 94. (*i*) Genial. Dier. Lib. II. p. 84. (*k*) conf. Octav. Ferrar. Analecta de Re Vestiar. c. V. p. 16. & de Re Vestiar. Part. II. Lib. III. c. 7. & 15. (*l*) Episc. fam. Lib. XV. ep. 17. p. 275. B. (*m*) De Honor. Consul. (*n*) conf. Liv. Lib. I. c. 26. II. 49. IX. 5.

neris. Ferrarius (*o*). *Diversa Chlamydis species apud scriptores occurrunt: Puerilis, Muliebris, Virilis, rursus hæc Vulgaris & Imperatoria.* Cui assentiuntur Lazius (*p*) & Demsterus (*q*). Illustris locus est apud Tacitum (*r*): *Claudius insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde auratâ præsedere.*

Nonnunquam & sagum pro paludamento poni solitum, sed hâc utplurimùm differentiâ, quòd sagum gregariorum militum fuerit & appellatum sago chlamys. Hinc Livius: (*s*) *Gregale sagum* dicit. Auro tamen interstinctum & purpureum ducum erat, Centurionumque, & appellatum Paludamentum (*t*).

Subnectebatur hæc vestis fibulâ (†) vel aureâ, vel auro gemmisqve interstinctâ. Statius: (*u*)

 Torto

(*o*) Ferrar. l.c. Cap. I. Contra hunc tamen disputat (tit.) Dn. D. Sagittarius in Harmon. Hist. Passion. Part. II. c. 9. §. 164. p. 604. & aliquod inter Sagum, Paludamentū & Chlamydem fuisse discrimen evincit solidè. Conf. Idem à p. 600. usque ad p. 605. ss. ubi etiā de colore chlamydis agit. (*p*) Comment. Reip. Rom. Lib. VIII. c. 10. (*q*) Paral. ad Lib. X. Rosin. (*r*) Annal. XII. c. 56. (*s*) Lib. VI. (*t*) testibus Ferrario l.c. Cap. I. Latio l.c. Lib. VIII. c. 9. ss. Kippingio Lib. IV. c. 5. (*u*) VI. Thebaid.

(†) M. Zuerius Boxhornius in Animadv. ad Qvæstion. Plutarchi, tres affert fibularum diversas formas, qvarum imagines ibidem exsculpi fecit, & inter rudera suppellectilis Romanæ in agro Clivensi Santæ repertas ait. Quarum duæ priores ejusdem ferè figuræ sunt, in quibus longa acus unco imposita nodo movetur & inflectitur: tertia verò rotunda, aliquatenus lunæ, sed plenæ figuram refert. *Est verò*, describente eo, *umbo qvasi tessellatus, partim flavi partim rubri coloris, cui fibula affixa; ornamenti caussa nodo & unco continetur.*

—— *Torto chlamydem diffibulat auro,*

Constringebatur autem usitatissimè, velut è nummorum inspectione patet; super humero dextro, neque tamen semper, ita ut Valturius (x), cùm ait: *Paludamentum dextro brachio exerto in sinistro humero nodo alligari solitum*, adhuc fidem mereatur, quicquid obtendant Kippingius (y) & Ferrarius (z) id strenuò negantes. Octavius Strada namque in Vitis Impp. & Cæs. exhibet nummos aliquot, qui in sinistro humero nodum ostendunt: *Getæ* n. 130. *Maximini* n. 148. *Maximi* n. 151. *Gordiani*, n. 155. *Balbini* etiam n. 157. & *Pupieni* n. 160. Imò subter pectus sinistrumque humerum, in nummo *Valeriani* n. 187. ac utrumque humerum, *Maximi* n. 150. & ne quis lacernam hanc esse objiciat, quæ & ipsa subnecti fibulâ solebat, noverit, lacernam totum corpus tegere, & infra genua cadere (a), id quod nusquam in allatis nummis apparet. In nostro nummo super dextrum humerum nodus quidem apparet, ac sub cervice alia adhuc junctura oblonga, quã cælator non expressit, ita ut duo paludamenti extrema contineat. Hinc benè Ferrarius (b): *Vestimenta tantùm aperta, ut pallia, & chlamydes, sagaq; fibulà in humero, vel ad cervices jungi, ne scilicet defluerent.*

Qvando primùm paludamento Chlamydeve uti cœperint Romani, definiri non potest. Antiqvum tamen fuisse

(x) Lib. X. de Re milit. Cap. I. (y) Lib. IV. c. 5. p. 626. (z) l. c. P. II. Lib. III. c. 8. p. 109. (a) Ferrarius Part. II. L. I. c. 15. (b) Part. I. Lib. I. cap. 16. Intelligit autem pallia communia & vulgaria. Ipse enim infra Part. II Lib. IV. c 9 p. 155. ss. disputat contra eos, qui pallia fibulata volunt. conf. Cap. V. p. 145. & Part. I. Lib. II. cap. IV. p. 8. ubi apertè fatetur. *Vulgaria pallia quadrata fuisse, & ex duabus plagulis confecta, fibulis in humeris necti solita.*

isso morem, ex eo colligitur, quod jam Tulli Hostilii ætate, cùm tergemini pro regno pugnarent fratres, sponsa sponso Curiatio paludamentum confecisse dicatur à Livio (c) Optimè autem Æneæ nostro hæc competit vestis. Imperator namque erat strenuus, potensque, qui & in bello Victor obiit. Æqvum ergò erat, ut, quâ insignis erat, eâ ornaretur præcipuè veste.

In alterâ hujus nummi parte ΕΥΣΕΒΕΙΑ legitur, cujus luculentum testimonium decantatissima illa Æneæ è Trojano incendio Patrem, ut vulgò somniant, efferentis Pietas additur. De hoc autem facto Varii variè senserunt. Affirmat omnium fabulosorum coryphæus Homerus in Iliade. Hunc longo ordine seqvuntur alii plures. Dictys Cretensis, & Dares Phrygius (d), Inde Virgilius, & Ovidius, aliique. Imprimis huc quoque referendus Tryphiodorus Ægyptius Grammaticus & Poëta, qui Ilii expugnationem scripsit græcè (e). At verò hisce omnibus mox opponimus majoris & probatioris fidei judiciiqve Viros non poëtas, sed oratores atqve Historicos alios. Erit autem princeps & ipse Ægyptius Dio Chrysostomus Prusiensis in eleganti oratione *ὑπὲρ τοῦ Ἰλίου μὴ ἁλῶναι, Quòd Ilium non sit captum.* Ex quâ hæc saltem de eventu belli contra Homerum excerpam:

Αἱ τε οἶκοι συμφοραὶ καταλαβοῦσαι τοὺς ἀφικομένους οὐχ ἥκιστα δηλοῦσι τὸ πρᾶγμα, καὶ τὴν ἀσθένειαν. Οὐ γὰρ πάντα εἰώθασιν ἐπιτίθεσθαι τοῖς νικῶσιν, οὐδὲ τοῖς εὐτυχοῦσιν. Ἀλλὰ τούτους μὲν θαυμάζουσι καὶ φοβοῦνται: τῶν δὲ ἀποτυχόντων καταφρονοῦσιν, οἵ τε ἔξωθεν, καὶ οἰκεῖοι.

(c) Lib. I. c. 26. (d) De Excidio Trojæ. (e) Vertere hunc in prosam Renatus Perdrierius, in ligatam autem Gvilielm. Xylander. Prodiit libellus Basileæ Anno 1555. & annexus est Coluthi Raptui Helenæ.

νὰς τῶν ἀναγκαίων, φαίνεται δὲ Ἀγαμέμνων ὑπὸ τῆς γυναικὸς ὑπερεφθεὶς διὰ τὴν ἧτταν, ὅτε Αἴγισθος ἐπιθέμενος αὐτῷ, καὶ κρατήσας ῥαδίως, εἶτε Ἀργεῖοι καταλαβόντες τὰ πράγματα, καὶ τὸν Αἴγισθον βασιλέα ἀποδείξαντες: οὐκ ἂν εἰ μετὰ τοσαύτης δόξης καὶ δυνάμεως ἀφικόμενον τὸν Ἀγαμέμνονα ἀπέκτεινε, κρατήσαντα τῆς Ἀσίας. Ὅτε Διομήδης ἐξέπεσεν οἴκοθεν, οὐδενὸς ἔλαττον εὐδοκιμῶν ἐν τῷ πολέμῳ, καὶ Νεοπτόλεμος, εἴτε ὑπὸ Ἑλλήνων, εἴτε ἀπὸ ἄλλων τινῶν. Μετ' οὐ πολὺ δὲ, καὶ πάντες ἐξέπεσον ἐκ τῆς Πελοποννήσου, καὶ καταλείφθη τὸ τῶν Πελοπιδῶν γένος, δι' ἐκείνην τὴν ξυμφοράν. Οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι, πρότερον ἀσθενεῖς ὄντες καὶ ἀτιμαζόμενοι κατῆλθον μετὰ τῶν Δωριέων: Ὀδυσσεὺς δὲ ἐβράδυνεν ἑκὼν, τὰ μὲν αἰσχυνόμενος, τάδε ὑποπτεύων τὰ πράγματα . . . . Μενέλαος δὲ τὸ παράπαν οὐχ ἧκεν εἰς Πελοπόννησον: ἀλλ' ἐν Αἰγύπτῳ κατέμεινε &c. &c.

Dictys Cretensis & Dares Phrygius de Trojæ referunt excidio sublestæ pleraque fidei, imò vana. Et ne fallamur specioso Antiquitatis titulo, Censuram Viri Ἀνωνύμου at doctissimi huc trahamus: *De Auctore ipso nihil certi dici potest: quisquis is fuit, adscivit faciendæ fidei nomen illustre Dictys, Cretici Idomenæi Comitis* &c.' & paulò post: *Sequens epistola, quæ vulgata est sub nomine Q. Septimii Romani, nulla est in antiquis exemplaribus. Itaq; non dubitamus, quin hæc sit ab ipso scriptore Operis, qui appositè hæc finxit de Punicis litteris; de arculâ stanneâ, de sepulcro terræ motu patefacto, de Eupraxide, Rutilio Cretæ Consulari, & Nerone, cujus jussu liber in Græcum sit conversus &c. &c.* De Darete, ut aliquid saltem ex eodem Censore afferamus, in epistolâ ad Groslotium ita sentit: *Cui etiam addimus libellum de excidio Trojæ Daretis Phrygii nomine perscriptum . . . . scriptum alioquin longè inferius illo altero, in quo neque eruditionem, neque judicium, neq; illam elocutionis elegantiam observamus, ut nimis impudenter fecisse videatur, qui Cornelii Nepotis nomen ementitus*

titus est, quasi inficeta versionis auctorem. In enarratione NB. totius historiæ ferè ubique diversus abit ab omni antiquitate, pauca similia de suo adstruit, absurda, inconsequentia plurima: ut vel id, quod de variis plurium annorum ac mensium induciis affinxit, ut ad decennium perveniat. &c. &c.

Poëtas reliquos Ovidium, Virgiliumque ex eo convincimus, quòd, annotante etiam Farnabio (*f*) *non historias, sed ingenium seqvantur*, ac sæpiùs *mendacia aperta pro veritate vendant.*

Unicum Erycii Puteani (*g*) addam judicium: *Vera sunt*, inquit, *quæ habentur de Ænea in Italiâ appulsu: Vera, quæ de Troja obsidione, mutuisq; referuntur cladibus, quod & Dio fatetur: Falsa tamen omnia, Ilium esse captum, eversum, Regem filiosq; principes necatos, Æneamq; precariò quasi Trojâ egressum.* Hinc, qvæ supra de Æneâ attulimus, non nostrâ sed aliorum fuit sententia.

Anchises sinistrâ tenet vasculum aliquod, quod Palladium creditur. Virgilius. (*h*)

Ilium in Italiam portans, victosq; penates.

& Herodianus: (*i*) Παλλάδιον ἄγαλμα κομισθὲν ἀπὸ Τροίας (ὡς λόγος.) & Plutarchus in Camillo, ab Æneâ in Italiam allatam

 asse-

(*f*) In præf. ad lectorem, in Lucanum. (*g*) Apparat. Epist. Cent. II. ep. 51. ad Jacob. Rolandum. Huic addatur Sam. Bocharti dissertatio de qvæstione, Num Æneas unqvam fuerit in Italiâ ex Gallico in latinum vertit Io. Schefferus Argentoratensis. Et M. Eborh. Rudolph. Rothii Exercitatio Historica de Bello Trojano, in quâ contra omnes ferè historicos ostenditur: Trojam in bello, quod decennale putatur minimè à Græcis flammis ruinisve fuisse deletam, habita Jenæ 1674. (*h*) Lib. I. Æn. v. 72. conf. v. 382. Lib. II. v. 293. 715. Lib. III. v. 148. alibi. (*i*) Lib. I. c. 14. n. 8.

afferunt: At Dictys (*k*) Ulyffem illud abftuliffe, vel potius ei ut præmium virtutis traditum sit: veluti apud Ovidium ipfe Ulyffes loquitur: (*l*)

Tamq; tuis potiar, faveat fortuna, fagittis,
Qvam rapui Phrygiæ fignum penetrale Minervæ,
Hoftibus è mediis. —— & iterum:
—— *audet Ulyffes,*
Verùm etiam fummas arces intrare, fuâq;
Eripere æde Deam, raptamq; efferre per hoftes?

Benè igitur Strabo (*m*): *Multo etiam protervius eft ea ab Ilio allata fabulari, qvæ fcriptores ponunt. Nam & Heraclea, & Lavinii, & Luceriæ*, & *Siritide Minerva habetur Iliaca, qvafi ab Ilio allata.* (*n*)

In hoc igitur Autorum diffenfu Deos patrios fecum quidem in Italiam vexiffe Æneam, probabile credimus, at Palladium Iliacum Trojæ manfiffe. Apud Juftinum (*o*) namque Romani Trojam venientes dicuntur *invififfe facra Trojana*, imò apud Livium (*p*) Scipio Conful *Minervæ præfidi arcis facrificat.* Unde verò Romanis avitos lares & Deorum fimulacra videndi inexplebile defiderium? Et cur Scipio Minervæ præfidi Ilii facra facit, fi Minerva Trojâ exportata Romæ refidet? fuo hinc jure hæc omnia Tacitus (*q*) *haud procul fabulis vetera* appellat, imò fabulæ funt, quæcunque de Palladio Romam avecto finguntur, neque, an vel Apollinem vel

(*k*) l,c Lib.V. (*l*) Lib.XIII. Metam.v. 337. fs. (*m*) Lib.VI. Heracleot. (*n*) conf. Freinshemius in notis ad Flor. Lib. I. c. 2. (*o*) Lib. 31. c. 8. (*p*) Lib. 37. c. 37. (*q*) Annal. XII. conf. Kippingium in Antiqv. Lib. I. Cap. I. §. 13.

vel Neptunum, uti quosdam negari ait Alexander ab Alexandro (*r*), exportâric, constat.

In hoc averso nummo apparet Æneas thorace indutus, *quæ vestis est inter munimenta pectoris ad ictus repellendos, & ex ære, ferro, & corio; interdum & linea esse solebat, & ex torulis trilicibus, quadricicibus, aut bilicibus conserta*, vide Ferrarium (*s*), qui addit: *in quâ aptè corporis lineamenta, pectoris scilicet ac ventris exprimebantur, sculpturis quibusdã vel picturis additis; tantùm ad umbilicũ usq; extensa*. conf. Lazius (*t*). Sub hâc veste latebat adhuc alia subucula sivè tunica interior, notante eodem Ferrariò (*u*) quæ omnia eleganter nummus noster exprimit. Pleniorem tamen horum vestimentorũ delineatiõnẽ apud modò laudatos Ferrarium (*x*) & Lazium (*y*), Choulium (*z*) quoque invenimus. Thoraci sæpius adjungebant chlamydem, quâ & noster vestitus est, nonnunquam tamen & sine eâ inveniuntur in nummis. (*a*) Prætereà pedes cinctus est ocreis, uti Lazius appellat, sed malimus cum Ferrario vocare mulleos: *quod genus vestimenti crus mediotenus tegebat*, insuper à Regibus Albanorum dein Romanorum Imperatoribus gestari solitum. (*b*)

Anchises lacernâ tunicâque insignis est. Neque repugnaverim, si quis penulam dixerit. Qvamvis penulæ aliàs clausæ erant ac rotundæ, & instar togæ corpori injici so-

(*r*) Genial. Dier. Lib. V. c. 10. p.m. 271. (*s*) de Re Vest. P. I. Lib. 3. c. 3. & Part. II. Lib. 4. c. 11. (*t*) de Rep. Rom. Lib. VIII. c. 12. (*u*) l. c. Part. I. Lib. 3. c. 3. (*x*) Tab. 25. ad Part. II. (*y*) in frontispitio Operis. (*z*) in Discours sur la Castrametation & discipline Militaire des anciens Romains p.m. 71. 72. 104. (*a*) Quales binos de Choul de la Religion p. 222. (*b*) conf. Anal. Ferrarii Capp. 31. 32. p. 167. Lazium. p. 712. f. Alex. ab Alex. l. c. Lib. V. p. 287.

solitæ: lacernæ contrà apertæ, fibulâque continebantur. Utriusque effigiem habet Ferrarius. *(c)*

Julus pectorali tuniculâ, vel ut alii vocant, colobio *(d)* indutus, atque subuculâ, velum aliquod vibrat, quod vel Minervæ illud peplum *(e)*, vel ad exprimendum fortunum rerum successum aliud quoddam crediderimus.

Qvando hic nummus cusus sit, divinari non possumus. Romæ tamen id factum, ipse vestimentorum ostendit habitus. Ab hâc certè Æneæ decantatâ in patrem pietate aliquot Romanos proceres occasionem sumsisse, ad suum ergà parentes indicandum affectum, in propatulo est. Atque in primis Julia gens, quæ patricia erat ac plebeja, Æneæ sua debere incunabula, sæpius jactitat, & inde ipse Cæsar: *(f)* *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum est: Nam ab Anco Martio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: à Venere Julii, cujus gentis familia est nostra.* Ἐκ γὰρ Αἰνείου, inquit Appianus, *(g)* καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος.

XVII.

Confirmat hoc nummus argenteus, quem beneficentiæ Magnifici Dn. D. Wedelii debemus *(h)*: Ex unà parte Caput est Veneris, sine epigraphe; ex alterà verò Æneas sublato humeris Anchise, manu Palladium gestans, cum lemmate: CAESAR. Eundem habet & Occo *(i)*, nisi quod

(c) Part. II. Lib. 2. p. 8. & 79. *(d)* vid. Ammian. Marcell. Lib. 14. *(e)* Conf. Meurs. in Panathenæâ Capp. 17. 18. 19. & Græc. Feriat. in Ἀῤῥηφορίᾳ. *(f)* In oratione pro rostris in funere Juliæ: *(g)* Lib. II. *(h)* Eundem habet nummum Patinus in fam. Juliâ p. 136. qvamvis hi duo invicem discrepent. *(i)* f. 13.

quòd ad Caput Veneris additum sit I IT. *Imperator Iterum.* Omnes sunt argentei.

Aureum Julii Cæsaris numisma affert Octavius Strada (*k*), Æneâ conspicuum. Ex unâ parte est Caput Julii Cæsaris lauro ornatum, sed absque fasciis, corollæ hinc aliàs addi solitis. Inscribitur: Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ, ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΔΟΥΚΤΑΤΟΡΟΣ. In medio sunt hæc duo signa: [sign] Ex alterâ autem exhibetur Æneas Anchisen portans, dextraque, ut vulgò creditum est, Palladium tenens. Ante currit Julus vasculum aliquod gestans. Subscriptio est: est: ΙΛΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*l*) Dein Cæsarem imitati sunt & alii, qui vel ideò id fecère, ut nominis sui (Cæsares enim vocabantur jure quodam adoptionis, & genus ad Æneam referebant) aliquam haberent rationem. *Augusti* quidem in honorem Segestani nummum percusserúnt, cujus adversa pars caput nudum fortè *Augusti*, cum inscr. ΕΓΗΣΤΑΙΩΝ: aversa autem Æneam patrem ferentem cum Julo exhibet. Nummum hunc habet Patinus, (*m*) qui egregiè eundem explicat, & inter alia, *Quid mirum*, inquit, *Æneæ effigiem averso nummo ab Segestanis impressam fuisse, cùm apud eos à Dionysio Halicarnasseo memoretur, templum in Æneæ memoriam conditũ.* Ita *Trajani* tres habet hujusmodi nummos Occo. Primus (*n*) in honorem ipsius Cæsaris cusus est. Restituit enim qui temporis longinquitate absumtus credebatur, quem exhibuimus, nummum Cæsaris Venere atque Æneâ

I 3 con-

(*k*) In Vitt Impp. & Cæs. p. 1. (*l*) Qvid significet νεωκόρων conf. etiam Reinesius in ep. ad Rupertum 50. p. m. 468. adde ep. 48. (*m*) Numism. Impp. f. 47. (*n*) f. 4. conf. Patin. in Sveton. f. 62.

conſpicuum. Inſcriptio: IMP CAES. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. P.P. REST. & in medio. CAESAR. Alter (o) diverſus eſt ab illo Cæſaris, partim, quòd averſus imaginem Trajani exhibeat, adverſus non CAESAR ſed AENEAS inſcribatur, inſuper Julùs appareat. Denique tertius (p) poſt mortem demum Trajani percuſſus ab Occone creditur, quamvis in averſâ parte litteræ nullæ adſint. Inſcribitur autem AENEAS emblemate ſolito. Habet etiam theſaurus Mauroceni (q) elegantiſſimum alium, quem & Patinus habet, ejusdem imperatoris Trajani, ubi averſus ſine inſcriptione clarè oſtendit Urbis primordia. Conſpicitur namque ſuper ædificio quodam Æneas Patrem portans, ſus etiam cum porcellis Lavinii extruendi omen. Alios porrò tres *Antonini Pii* nummos tales ſæpiùs laudatus ſervat Occo, in quibus hoc Æneæ factum exprimitur, ad indicandam, ut infrà dicemus, quam Parenti Hadriano ipſe exhibet, ſuam Pietatem.

XVIII.

Præcipuè autem huc pertinet neſcio cujus *Herennii* nummus argenteus, in quo quidem Æneæ nulla fit mentio, factum autem tale exprimitur. Exhibemus illum iterum è nummophylacio Boſio-Sagittariano (r); Una facies oſtendit Pietatis imaginem cum inſcr. PIETAS, altera imaginem nudam portantem, ſuſpicante quidem Oyſelio, fœminam, & inſcr. M. HERENNI, in medio. A.

Heren-

(o) Occo f. 140. (p) f. 164. (q) Cap X. p. 59. (r) Habet Eundem hunc nummum Patinus in famil. Herenniâ f. 120. ſæpiùs AnGorlæus in Theſauro Numiſm. Impp. p. 36. ſ. & Oyſelius Jab. LXXVI. n. 11. & Choul. p. 156.

Herennianam familiam plebejam fuisse, & in Balborum & Gallorum divisam discimus è Schotti Electis, & Augustino de fam. Rom. L. Herennii *Balbi* meminit Pædianus in Milonionam. *Galli* Asinius Pollio. (*s*) *C. Herennii* Trib. pleb. qui P. Clodium ad plebem traduxit, facit mentionem Cicero. (*t*) & alius *Caji Herennii* Livius (*u*). *M. Herennii* autem decurionis, qui sereno die fulmine ictus est, meminit Plinius (*x*). Plures Herennios passim in Romanis Gruteri Inscriptionibus reperimus, è quibus huc potissimùm referendum duximus istam (*y*):

DIS MANIBVS
HERENNIAE. SECVNDAE
L. VERGINNAEVS
FVNDANVS. CONIVGI
OPTIMAE. ET. M. HEREN
NIVS. THEODORVS
PATRONAE. BENE
MERENTI. POSVERVNT

Et hanc (*z*)

D. M
ROMANIAE. LVPAE
CONIVGI. PIENTISSIMAE
M. HERENNIVS. EVCHA
RISTVS

Patinus quidem l.c. pronunciat, *Herennium hunc fuisse Cos. ex Kal. Nov. Anno 720. filium fortasse M. Herennii ejus, qui Consulatum gesserit cum C. Valerio Flacco; de quo Cicero ita scribat: M. Herennius in mediocribus Oratoribus latinè & diligenter loquentibus numeratus est; qui tamen summâ nobilitate*

(*s*) Lib. IX. epist. 32. ad Plancum. (*t*) Epist. Lib. I ad Attic. ep. 15. p. 3c8. A. (*u*) Libr. XXI. c. 25. (*x*) Lib. II. c. 51. (*y*) p. 787. (*z*) p. 812.

tate hominem cognatione, sodalitate, collegio, summâ etiam eloquentiâ L. Philippum in Consulatûs petitione superarint. Cujus fidei & nos subscribimus, probabiliora non invenientes.

At alia super est difficultas, Æneas, an alius quis in nummo exprimatur? Æneam esse, Patinus (*a*) affirmat his verbis: *Æneas autem Anchisen humeris ferens, Pietatis symbolum antiqvis fuit, quod in aliis etiam vetustatis monumentis reperitur.* Idem Gorlæus (*b*) aliique dicunt. Solus Choulius (*c*) ad hunc nummum aliter sentit: *Apres la pieté de la Religion nous parlerons, de celle des parens: qua nous montre le medaille de Marcus Herennius, qui porte son pere sus ses espaules.* quô vero fundamento nitatur hic, nos latet. Sane, si respiciamus inscriptionem istam, quam è Grutero (*d*) attulimus, in Oyselii magis sententiam imus, qui contra Ursinum figuram illam humeris sublatum ex mammâ detectâ, & facie, facilè agnoscit mulierem esse, & alterum istorum fratrem, qui matrē per medios ignes Ætnæ abstulerit, incendi (*e*). Ut adeò propter illam, quam Herenniæ Patronæ suæ exhibuit, pietatem, jure optimo, ut vult Schottus in Electis, PIETAS dictus, & hoc in perpetuam rei memoriam numisma cusum sit frequentiùs. In nostro fæminam qvidem non possumus perspicere accuratiùs, apud Choulium tamen & Oyselium clarè ea apparet. Vicies percussum exhibet Gorlæus, quod argumento est, non incelebrem hanc Herennii fuisse memoriam. Nostrum inter prima & rariora est, A signatum; reliqua aliis distingvuntur literis ac signis.

XIX.

Hùc quoq; spectat, quem Sculptor inferiùs locavit, Caligulæ

(*a*) l.c. f.121. (*b*) l.c. p 36. (*c*) p 136. (*d*) p.789. (*e*) in Thes. sel. Numism. Comment. ad nummum. 11. Tab. LXXVI.

gulæ nummus argenteus è museo Wedeliano, inscribitur: C CAESAR AVG GERM P M TR POT. Imago Caji laureata: aversus aliam sed matris imaginem repræsentans inscribitur: . . . AT. C. CAES. AVG. GERM Eundem habet Occo (*f*), & supplendus: AGRIPPINA MAT. &c. &c. Scilicet eximia Caligulæ erga Agrippinam signatur Pietas, de quâ ita testatur Dio (*g*): ἔς τε τὴν μητέρα ϗ ἐς τοὺς ἀδελφοὺς &c. πλεῖστα ὅσα εὐσεβῶς ποιήσας. & aliqvanto post: τά τε ὀστᾶ τῆς μητρὸς αὐτός τε πλεύσας, ϗ αὐτὸς αὐτοχειρίᾳ ἀνελόμενος ἐκόμισε, ϗ ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνῆμα κατέθετο. Huc conferatur Svetonii locus in vitâ Caligulæ (*h*) & vetus Inscriptio Romana apud Gruterum p. 101.

Sequitur PIETAS PARENTVM IN LIBEROS. Hujus quam plurima & inscriptionum & nummorum restant monumenta atque exempla. Aliqua saltem afferamus è Grutero (*k*).

IVLIAE. SECVNDAE. FILIAE. CORNELIAE. TYCHES.
VXORIS
ET. INCOMPARABILIS. ERGA
MARITVM. ADFECTVS. SANCTI
TATISQVE. ET. EXIMIAE. ERGA
LIBEROS. PIETATIS. QUAE &c. &c.

Et alia: (*l*)

D. M.
NORICAE
PIENTISSIMI
PARENTES
SVI. FECERVNT

Nummi etiam varii id testantur. Tres *Matidiæ Faustinæ* atq; *Otaciliæ* afferimus è nummophylacio Thomaniano.

K XX. Ma-

(*f*) f. 77. (*g*) Lib. 59. (*h*) Cap. XV. (*k*) p. 690. (*l*) p. 696.

XX.

Matidiæ inſcribitur:

MATIDIA AVG DIVAE MARCIANAE F

Caput Matidiæ; averſus: PIETAS AVGVSTAE S. C figura ſtans manus extendens ſuper duas puellas aſſiſtentes. Æreus eſt nummus, atque eundem quoque habet Occo. Grandem inter Antiqvarios litem eſſe, quænam hæc ſit Matidia, & plerumque eam cûm filiâ confundi, docet Mediobarbus. Ita ſororem Sabinæ faciunt, ipſe Occo (*m*), & Strada (*n*). Mediobarbus verò cum Velſero (*o*) Sabinam dicunt & Matidiam juniorem filias hujus noſtræ Matidiæ eſſe, id quod hic demonſtrat ex Inſcriptione Veteri; quæ reperitur in domo, non ut vult Mediobarbus, ſuâ, ſed privatâ alia Auguſtæ Vindel. Hanc quia meretur, addimus:

MATIDIae
DIVAE MATIdiae
aVG FIL. DIvae
MARCIANAE aug
nePTI DIVI tra
jaNI ABNEpti
DIVAE SABinae
hadr. aug. SOrori.

Qvorum ſententiæ & nos ſubſcribimus, & duas Matidias, unam majorem & matrem, qvæ in noſtro nummo pingitur, alteram minorem & filiam eſſe ſororem Sabinæ, aſſerimus. Cui nupta fuerit noſtra Viro, *licet neq; nomen neque nobis ſtemma notum*, tamen cum Velſero, *aliquo modo ad Trajanum pertinuiſſe, & inde abneptem dictam Matidiam mino-*

(*m*) Edit. Antverp. p. 150. (*n*) Strada n. 81. (*o*) In Monum. Aug. XXXV. f. 288.

minorem, suspicamur. In averso nummo, non ut vulgò creditum, pueri, sed puellæ sunt, quæ figuræ isti adsistunt, & pietatem manifestò Matidiæ erga binas filias Matidiam Sabinamqve ostendere, cùm utrasque manu prehenset, quod perpetuum amoris signum adhuc hodie esse solet, credimus. Ex auro argentoq; habet Mediobarbus nummum hunc, quod indicium est, ipsā primùm de se suam testatam esse pietatem, ac dein Senatum, ut vel ipsi vel Parenti Trajano placeret, imitatum esse.

XXI.

Alter & *Faustina* nummus inscribitur: FAVSTINA (AVG PII AVG FIL) Caput Faustinæ. Aversus: PIETAS S C. Imago quædam stans dextram super parvulum ad stantem extendens, sinistrâque cornucopiæ tenens. Nummus est æreus, atque iterum è thesauro Thomaniano. Eundem aliquantisper dissimilem vulgavit quoque Occo (*p*). Filia hæc est Antonini Pii, quam è Faustinâ genuit, uxor Aurelii. Suprà modum hæc impudica traditur, *ut, vitia ejus patienter ferente Aurelio, ut nec ea curiosiùs investigaret, neq; puniret, adulteros quoque uxoris promoveret* (*q*), *& filius ejus Commodus de adulterio natus creditus sit* (*r*). Multa quoque ejus numismata *Veneri* (interdum satis lascivæ) *victrici ac felici* inscriberentur (*s*); quantumvis & *Pudica* celebretur in in nummo apud Occonem (*t*), & à Senatu adulabundo & ab ipso Marco (*u*). MATER EXERCITVVM quoque dicta est, jubente Aurelio, quem honorem post eam nacta est, Julia

(*p*) f. 231. (*q*) Jul. Capitolin. in Marco Cap. 29. conf. 26. (*r*) Idem Cap 19. (*s*) Conf. Occon. f. 229. & Patin. N. I. f. 248. (*t*) f. 231. (*u*) conf. Occo 229. sq. Dio Libr. 71. p. 806. Capitolin. l. c. cap. 26.

Julia Domna. Conspirasse creditur contrà maritum cum Cassio (x), quo extincto mox & ipsa periit, vel, uti volunt *podagra doloribus, queis laborabat, vel, ne ob ea, de quibus cum Cassio convenerat, argueretur.* Mortuam valde doluit ac iu summis habuit honoribus Marcus, & *à Senatu, ut honores Faustinæ ædemq; decerneret, petiit*, atque *impetravit.* Hinc statuæ Faustinæ & Marci argenteæ in templo Veneris Romæ à Senatu sunt positæ, teste Dione, *& ara extructa, in quâ Virgines omnes, quæ nuberent in urbe, unà cũ sponsis sacrificarent.* (y) *Novas itidem puellas Faustinianas instituit ipse Marcus in honorem uxoris mortuæ*, teste Capitolin. (z) DIVA post mortem est à Senatu appellata hinc illa inscriptio Romana (a):

MEMORIAE
DIVAE. FAVSTINAE. AVG
PIAEQ. CLARISSIMAE
RELICTA. MATRE
INFELICISSIMA
VIX. ANN. XXXVI. MENS. III.
DIEB. XI.

Aversus noster nummus *Pietatem* ejus erga filium ostendit, & Cornucopiæ, *quodcunq; lætum atq; opportunum (b)*, quod ex hâc Commodi felici educatione, adeoque Matris erga eum curâ pietateque propullulare possit, designat. Sæpiùs enim liberos, atq; ab iis speratam prosperitatem felicitatemque hocce cornucopiæ intendi, varii edocent nummi, præcipuè iste Claudii, cum inscr. LIBERIS AVG. (c) Confirmat

(x) Capit. l. c. c. 24. Dio l. c. p. 85. (y) Dio. l. c. (z) l. c. (a) Apud Gruterum p. 261. (b) Verba sunt Pierii in Hieroglyph. Lib. 56. c. 42. (c) Apud Patin. in Numism. Impp. p. 99.

mat id, quod de Faustinâ diximus, egregius ipsius nummus ap. Patinum *(d)*, ubi figura duos ulnis gerit parvulos, aliis quatuor adstantibus cum inscr. TEMPOR FELIC.

Denique eleganter admodum Pietas, quâ Parentes Philippum juniorem prosequvuntur, est expressa in nummo, quem exhibemus, æreo *Otacilia*. Habet eundem sæpiùs Occo. *(e)*. Ex unâ parte ostendit caput Otaciliæ, cum inscr. MARCIA OTACIL. SEVERA AVG. ex alterâ duo Capita Philipporum laureata, cum inscr. PIETAS AVGVSTORVM ..... COS.

De hâc Otaciliâ pauca sane, fatente ipso Patino *(f)*, *Scriptorum incuriâ sciuntur, nisi quòd hæc Christum coluisse, & cum marito ac filio baptismate insignita, ab Origine edocta, feratur.* Verùm qvàm vana hæc sit traditio, dudum ostenderunt viri eruditi *(g)*, & inscriptio ista Romana confutat apud Gruterum *(h)*:

MATRI DEVM
MARTIA OTACILIA AVG
D.

Aliam quidem, ut fidem faciant huic fabulæ, producunt, & apud eundem legimus Gruterum, Inscriptionem:

ANNO CHRISTI CC L III.
IMP. DIVVS. PHILIPPVS. SENIOR

(d) l. c. p. 149. *(e)* f. 346. ss. *(f)* p. 385. N. I. *(g)* Conferatur dissertatio suprà jam laudata Dn. D. Kortholti *de Philippi Arabis* &c. Christianismo Sect. 1. § 1. ss. Idem egit B. Bosius in *de Pontificatu Imperat. Rom.* Dissertatione Cap. III. §. 5. 6. ss. p. 28. 29 ss. ubi simul de Alexandro Mammææ agit. Plures qui idem egere laudat πολλῶν ἀξιάξιος ἄλλων Dn. D. Sagittarius, in *Introd. ad Notit. Hist. Eccles.* qvæ adhuc sub prælo sudat, brevi edendâ, Cap. XXIV. §. 18. p. 608.
(h) p. 29.

VERONAE
ET
ROMAE
IVNIOR A SATELLITIBVS INTER
FICIVNTVR

Enimverò, prætereaquòd ipse Patinus Scaligero subscribens *suppositiam, neq; eum fuisse tunc temporis morem scribendi putet*, nihil hic probat lapis. Senior Philippus proditoriè necato Gordiano regnum adeptus filium suum adhuc puerum imperii designavit consortem. Et primùm quidem Cæsarem eum saltem appellavit. Hinc Inscriptio: (*o*)

OB. HONOREM. PHILIPPI. IM
PERATORIS. NOBILISS. SEM
PER. AVGVSTI. ET. PHILIPPI
CAESARIS. NOBILISSIMI

& nummus apud Occonem (*k*) cum inscr. CONCORDIA AVGVSTORVM, ubi caput Philippi Patris laureatum, respiciens caput Philippi filii absque laureâ cernitur: mox tamen eundem quoque Augustum dixit, & laureâ ornavit, teste & nostro, & alio apud Occonem (*l*) nummo. Sæpiùs verò jungunt Patris filiique imagines cum Otaciliâ, quod documento est, admodum dilectum fuisse Parentibus. Subscriptio ista mutila .... COS in plerisque nummis apparet, conjicimus tamen, intelligendum esse III & II COS, quæ verba expressè ponuntur in alio nostro persimili, quem Tristanus explicat, nummo (*m*).

Huic Parentum erga liberos pietati affinis quoque est SVPERIORVM IN SVBDITOS, quam clementiæ aut Boni-

tatis

(*i*) Apud Gruterum p. 272. (*k*) f. 344. (*l*) f. 345. (*m*) Conf. Occon. f. 347.

tatis potissimùm nomine aliàs insignitam novimus. Hùc referendæ sunt inter alias plures hæ Inscriptiones apud Gruterum (*n*).

PIETATI AVG
L. LVCRET. FVLVIANVS. FLAMEN
COL. IMMVNIVM. PROVINC
&c. &c.

item alia. (*o*)

S. CAESAR. FL.
VALENTINI
PIO. FELICI. SEMPER. AVGVSTO
M. VALERIVS. QVINTIANVS. V.C. CON
P. S. CLEMENTIAE. PIETATIQ
EIVS SEMPER. DICATISSIMVS.

Et ista (*p*)

VIRTVTE. FOR
TISSIMO. ET. PIE
TATE. CLEMENTIS
SIMO D. N. FL.
CONSTANTINO &c. &c.

Ut alias plures, quæ habentur in opere Gruteriano, omittam. Nummos, qui hoc argumentum referant, vix alios reperi, quam quos jam supra vel PIETATE ROMANA, vel PVBLICA insignitas attulimus.

Tandem PIETAS ERGA AEQVALES ultimò loco consideranda venit. Hæc vel *socero*; apud Tacitum, (*q*) vel *patrueli*; apud Justinum (*r*); vel *hominibus quibusvis aliis* officium debitum designat. Pulcherrima est ista inscriptio apud Gruterum (*s*):

QVISQ. LGER. SI. TAMEN. PIVS. EST
NECES.

(*n*) p. 101. (*o*) p. 285. (*p*) p. 283. (*q*) In Vit. Agric. c. III.
(*r*) Hist. Lib. III. c. 2. (*s*) p. 676.

NECESSE. EST. DOLEATVR

Et illa, quæ erga affines laudat Pietatem: (*t*)

CLODIAE. Q. FIL
RVFINAE
FVRIA. HELICE
AVIA. ET
FVRINA. MATERTERA
PIENTISSIMAE.

Neque raræ sunt, quæ Conjugum invicem laudant pietatem inscriptiones veteres.

Inter alias excerpi merentur istæ è Grutero (*u*)

D. M.
ALFENIAE
PIETATI
CN. GRESIVS
APER
CONIVGI. B. M.

& illa (*x*)

HIC. PIETATIS. HONOS. HAEC. SVNT. PIA
DONA. MARITI. CVI. MVLTVM. DILECTA. FVI
EGO. MARCELLINA. PRO. MERITIS
CERNISQVE. MIHI. SOLVS. CONIVNX
AELIVS. EOQVE. POST. OBITVM. MEMOR
AMORIS. DICAT

Aliam elegantem admodum Reinesius habet (*y*):

D. M.
P. CRITONI. IANVARIO. VIX. AN. XLV.
ANIANA. DEVTERA
CVM. QVO. VIXIT. ANN. XXXVII. CONIVGI. B. M.
QVAE. PIETATE. PLENA. HOC. LIBENS. FECIT.

Sepiùs tamen etiam denotat affectum, quem vel soror fratri, & contrà, vel fratres invicem exhibent. Hùc refer istud è vitâ

(*t*) p. 677. (*u*) p. 753. (*x*) p. 805. (*y*) Epist. ad Rupertum ep. 53. p. 285.

è vitâ *Timoleontis*, apud Cornelium Nepotem(*z*) exemplum, & illud *Caji Caligulæ* apud Svetonium (*a*), etiam Augustorum *Marci & Veri* apud Iul. Capitolin (*b*). Inscriptiones iterum aliqvas huc referemus è Grutero (*d*):

D. M.
L. L. APONIANI
QVI. VIXIT
ANNOS. X. M. VI. D. II
MACRIA. PRIMVLA. SOROR
PIENTISSIMA. FRATRI

& alia (*d*):

RODIADI. ET. VITALINE
SORORIBVS
FECIT. DOMITIA. RODIAS
SOROR
PIENTISSIMA.

E nummis, qui præsentem illustrare possunt materiam potissimum *Antonii* huc facit.

Ob pietatem namque erga fratrem PIVS vel PIETAS nuncupatur Antonius in nummis, quos habet Patinus (*e*) & Gorlæus (*f*). In horum altero figura stans stolata dextrâ navis gubernaculum sinistrâ cornucopiæ tenens ante quam ciconia, & inscr. ANT. AVG. IMP. IIIVIR. R. P. C. & PIETAS COS. In altero verò adverso Imago quoque Antonii cum lituo, inscr. ANTONIVS IMP. III. VIR. R. P. C. & aversо: Pietas stolata stans, dextrâ thuribulum, sinistrâ cornucopiæ tenens, duabus ciconiis super impositis, inscr. PIETAS COS. Hujus rei argumentum breviter expo-

(*z*) Cap. I. (*a*) Cap. 15. (*b*) Cap. 12. in Vit. Marc. (*c*) p. 949. (*d*) p. 851. (*e*) In fam. Rom. Antoniâ, f. 2. (*f*) In thes. numism. Rom. p. 4.

rit Dio (g): Ἀλλ' ὅτε inquit, λεύκιος μετὰ τῆς Φουλβίας τῶν τε πραγμάτων, ὡς καὶ ὑπὲρ τοῦ Μάρκου τοῦτο δρῶν ἀντελαμβάνετο, καὶ εὐθενὸς αὐτὸν ὑπώπτευε. Διὰ γὰρ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὐσέβειαν καὶ ἐπωνυμίαν ἑαυτῷ πίστιν ἐπέθετο. Ciconiam verò aliâs pietatem notare, quæ parentibus exhibetur, diducit fusiùs Pierius (q), qui libro III. Collectan. Hieroglyphic. sub tit. *Filiorum* egregiè de hâc re differit. Merentur verba, ut integra adponantur: *De ciconiæ, inquit, in parentes gratitudine tam veterum quàm recentiorum scripta plurima sunt in medio, & inter cæteros, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Oppiani, Æliani, Horapollinis, Plinii, Val. Maximi, Suida, & inter SS. Auctores Basilii M. in hexaëmero, homil. 8. ac libello de honore quo afficiendi sunt parentes in senectute, & Ambrosii in Genesin Cap. 5. legi possunt. Qui quidem universi in hoc consentiunt, quòd gratam memoriam educationis & nutritionis præstita juniores ciconiæ diligenter observent, atq; adeò senio confectos parentes nunquam deserant, sed mutuis officiis eos foveant, ac magnâ cum curâ pascant. Unde Græci elegans verbum ἀντιπελαργεῖν h.e. reciconiare derivarunt &c. Petronius Arbiter vocat Ciconiam Pietatis cultricem. Quod Romani in suis etiam nummis observarunt, ac notus cujusdam Veteris Poëtæ versus:*

ἱκανῶς βιώσεις, γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

In hocce Antonii nummo ciconia, licet raro admodum exemplo, pietatis, quam fratribus debemus, signum est.

Elegantior verò multo est ille Pupieni & Balbini nummus argenteus, quem habet Ill. Spanhemius (i), Occo (k) & Mauroceni Thesaurus (l). Exhibet verò ille ex unâ parte Caput.

(g) lib. 48. (h) In libro 17. Hieroglyph. (i) l. c. 723.
(k) f. 334. (l) Cap. VII. p. 31.

put laureatum Pupieni cum inscr. IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS AVG. ex alterâ vero duas dextras junctas, cum inscr. PIETAS MVTVA AVGG. Denotant verò eo concordiam ipsorum in administrandâ Rep. quæ defendenda erat adversus Maximum; simul enim facti sunt Imperatores ambo, quorum alter militiæ, alter Reipublicæ præesset. Et quamvis commemoret Capitolinus (*m*) *populum Romanum imperio Maximi contradixisse*, & *Gordianum adulescentulum Cæsarem nuncupatum*; Herodianus fucum impositum tantummodò fuisse plebi, ut istum dejectum dignitate crederet, & ambobus decretos omnes Imperatorios honores atque insignia, datam tribuniciam potestatem, jus proconsulare, Pontificatum Maximum, Patris etiam patriæ nomen: licet Onuphrius Panvinius in fastis suis omnes tres Balbinum, Papienum & Gordianum Cæsares faciat (*n*). Ast priorum saltem in memoriam Principum cusi promiscuè nummi sunt, mox Pupieni, mox Balbini effigiem præ se ferentes, cum inscr. PIETAS MVTVA AVGG. Scilicet alteri alter affectum testaturus, quo Consortem imperii amplecteretur, hoc usus est lemmate. Et hinc apud Occonem aliosque deprehendimus, quæ FIDEM MVTVAM, CONCORDIAM AVGG. Balbini; CARITATEM MVTVAM AVGG. AMOREM MVTVVM AVGG. argentea, & aureum PATRES SENATVS Pupieni referunt numismata, solùm ut eò clariora, quæ intercessit illis invicem, prostarent Concordiæ signa, solito, duabus nempe manibus junctis, symbolo (*o*). Quo referendum rarum istud numisma apud Choulium (*p*), ubi fratribus Tito & Vespasiano invicem dextras jungit Senatoria

 toria

(*m*) In vitâ Maximi & Balbini. (*n*) ad Olymp. 254. (*o*) conf. Spanhem. Dissert. VIII, p. 723. (*p*) de la Religion. p. 139.

toriaquædam persona, cum inscr. PIETAS AVGVSTA. S.C. Sed vana erat hæc inter nostros exterior PIETATIS professio. Enimverò & Herodianus, & uti fatetur ipsemet, qui eum exscribit, Capitolinus quasdam inter Balbinum & Maximum sed tacitas, *& quæ intelligerentur potiùs quàm viderentur*, fuisse discordias, & Balbinum semper, qui deferrentur ob victorias honores Maximo, invidisse, autores sunt. Ubi simul notanda ista summa, quàm fusius dissertat. novem evolvit Spanhemius, antiquorum numismatum utilitas. Capitolinus admodum se torquet & laboriosè satis disquirit de istâ geminâ MAXIMI & PVPIENI appellatione, donec deprehendit, eundem esse: qui tamen nodus uno saltem numismatum intuitu poterat solvi, ubi apertè dicitur: IMP. CAES. PVPIEN. MAXIM. AVG.

Transeamus nunc relictâ Pietate ipsâ, ad illos, qui se Pios dici passi sunt. Primùm ita appellatū reperimus Æneam? hinc sæpiùs audit ap. Virgilium: PIVS AENEAS. Cui tamen meritò adjungimus fratres Catanenses, Metellum, Pompejum, Antiochū Evergetam, & Ararathem, de quibus omnibus constat, *Pios* esse *dictos*. Mansit hæc appellatio per aliquot lustrorum decursus, ut nemo sibi vindicaret soli: Donec Antoninus PII nomen assumsit proprium, quem longo ordine secuti sunt alii, qui vitia sua satis impia pio texere nomine. Præterea & aliis titulus hic tributus est. Ita PIA dicitur Legio apud Gruterum; (q) & Nonæ apud Lampridium (r): *Vota pro eo facta sunt Nonis Piis.* Dicitur & Iuno Pia apud sæpiùs laudatum Gruterum: (s)

IVNONI. PIAE

M. CA-

(q) l.c. p. 355. (r) In Commodo Anton. (s) p. 25.

M. CANVLEIVS. M. L. PHILONICUS.
GENIAR. POST. AEDEM. CASTORIS

Eò quoque devenit, ut abstractè PIETAS vocarentur aliqui, quos affert in aureo suo tractatu Ill. Ezech. Spanhemius (*t*). Et mansit hoc nomen etiam adhuc ad nostra tempora, veluti id eximiè docet Berwert *de Cognominibus Principum.* (*u*)

Abhinc adulatione Romanâ indies magis magisque crevit insana titulorum vanitas, adeò, ut cùm primò Optimi saltē Principes PII, mox PII & FELICES dicerentur. Exemplo est Commodus, qui sub regio vultu nequam animū tegens, primo PII & FELICIS sibi titulum sumsit, teste Lampridio(*x*). Quem posteà imitati sunt tantū non omnes; sic tamen, ut cùm Commodus diversis vicibus, PIVS primò, dein FELIX diceretur, illi simul utrumque arripuerint. Mirandum autem, quòd, cùm Severus Imp. nunquam PIVS FELIX dictus sit, uxor tamen ejus Iulia utroque in nummis superbiat, quod sane argumentum est, fœminam summè fuisse æstimatam, at summè etiam insolentem. Neque tamen hoc PII FELICIS titulo diu contenti erant, sed mox auxere aliis; ut AVCTOR PIETATIS ET RESTITVTOR Commodus, CONSERVATOR, Gallienus; DII jam olim etiam *Iulius Cæsar* apud Golz.(*y*), *Antiochus* ap. Diodorum Siculum (*z*); atque, uti quidem putat Victor (*a*), *se primus omnium Caligulam post, Domitianumq; Dominum palàm dici passus, & adorari se appellariq; uti* DEUM. Apud Gruterum *Valentinianus Valens & Gratianus*, PERPETVI PII FELICES; item PII FELICES AC SEMPER TRIVMFATORES: *Galerius & Gratianus*, PII

L 3 FELI-

(*t*) De Numism. Præst. & Usu. Diss. IIX. p. 723. f. (*u*) Dissertatio hæc præside DN. Becmanno habitâ est Francof. ad Viadrum anno 1683. (*x*) In Vit. Ejus Cap 8. (*y*) p. 19. (*z*) In Eclog. ad lib. 31. ed. 3. p. 186. (*a*) de Cæsaribus n. 39. p. 303.

FELICES AC TRIVMFATORES SEMPER AVGG.:& Faustina, PIA CLARISSIMA; appellitarentur. Donec tandem PIISSIMI, qui erant *Pessimi* dicti sunt. Quæ appellatio non Imperatoribus primùm, sed promiscuè defunctis, à suis Cognatis vel aliis Patronis tributa est. Ita *piissimas* vocat Florus (*b*) animas; Manes Tacitus (*c*). Plures etiam habemus ejusmodi inscriptiones. Aliquas saltem afferamus è Grutero p.663:

D. M.
B. AELIO. TAVRO. QVI. VIXIT
ANN. XXI. DIES. XXXXV.
FANNIA. SEVERA. MATER
FILIO PIENTISSIMO &c. &c.

p.660.

Λ. ΚΛΑΤΔΙωΙ
ΔΙωΔωΡωΙ
Λ. ΑΤΕΙΛΙωC
ΚΑΙ. CΕΙΛΙΑΝΟC
ΦΙΛωΙ ΚΑΙ
ΤΡΟΦΙΜωΙ
ΕΤCΕΒΕCΤΑΤωΙ
ΚΑΙ ΓΛΤΚΤΤΑΤωΙ.

Cæsares tamen aliqui Piissimi quoque dicti sunt. *Constantinus*, ap. Gruterum p.283.

PIISSIMO. FORTISSIMO
FELICISSIMO. DN.
CONSTANTINO. MAXI
MO. VICTORI. SEMPER
AVGVSTO &c. &c.

Et *Valentinianus* p.285.

PIISSIMO
FELICISSIMOQ

PRIN-

(*b*) Lib. IV. c. 7. (*c*) In Vit. Agric. sub fin.

PRINCIPI
VALENTINIANO
INVICTISSIMO
SEMPER AVG.

Dein pro hâc PIISSIMI appellatione usurpavere etiam SANCTISSIMVS. Tale monumentum reperitur apud Reinesium (d):

MEMORIAE. NICINIAE. EPICTESI
CAVLIVS. THALLVS. CONIVGI. SANCTISSIMAE

Et Florus l. c. Animam *Sanctissimam* dixit. Quem Titulum sumsère Cæsares quoque, veluti è pluribus constat Inscriptionibus. Unam adscribimus è Grutero p. 101.

PRO SALVTE
DD NN
SANCTISSIMORVM
IMPP
BONO. EVENTVI. MIL
EXERCITVS G.S. MATER
NIVS. PERLETVS. MIL.
LEG. VII. PR. P. F
STRATOR

Sacratissimum Imperatorem Diocletianum vocat Capitolin. (e) Etiam INNOCENTISSIMVM reperimus apud Gruterum p. 667.

AMANTIO. DVLCISSIMO
POSVERVNT. PARENTES
VERNA. PATER. ET
LVPVLA. MATER. FILIO
INNOCENTISSIMO

Memorabile est illud & Impiissimum epitaphium Romæ, ubi

(d) In Epist. 36. ad Rupertum p. 285. (e) In Marco Cap. XIX.

ubi binæ manus ſunt inciſæ marmori, quæ tolluntur in altum, cum inſcr.

PROCOPE. MANVS
LEBO. CONTRA
DEVM QVI
ME INNOCEN
TEM SVSTVLIT
QVAE VIXIT
ANN XX
POS PROCLVS

Rationem, ob quam PIOS vocarunt ſuos Cæſares Romani, Gentilesque, hanc è Themiſtio affert Ill. Spanhemius (*f*), quòd *Deorum exemplo, qui tanquam* ΕΥϹΕΒΕΙϹ & ΣΩΤΗΡΕϹ *ſoleant invocari, ita appellati ſint*. Plures tamen aliæ passim occurrunt: Nimirũ *ob Religionem*; Antiochus & Commodus: *Ob pietatem erga Patriam*: Pertinax, & omnes dehinc Imperatores, qui poſt PIVM Pii & Felices dicti ſunt, etiam Auguſtæ, ut Iulia Domna: *erga parentes*; Æneas, Metellus, Sextus, Ariarathus & Antoninus Pius, *& inferiores*; Gallienus, appellati ſunt Pii. Singula fuſiùs expendamus, & nummos explicabimus.

Nimirum OB PIETATEM ERGA DEVM dictus eſt PIVS *Antiochus*, qui & Evergetes. Ita namque in nummo, quem Patinus (in theſauro) & Spanhemius (p.701.) habent: ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. De hoc teſtatur Ioſephus (*g*) δι' ὑπερβολὴν τῆς θρησκείας εὐσεβῆ πάντες ἐκάλεσαν. Et Commodus Imperator in nummo qui inſcribitur:

M. COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG BRIT. Caput Commodi laureatum. AVCTOR PIETATIS

(*f*) l. c. Diſſert. VIII. p.710. (*g*) Antiqv. Lib. XIII. c.16.

TATIS. figura ſtans ad aram, dextrâ pateram, ſiniſtrâ arcam tenens & in alio:

RESTitutor PIETatis, itidem figura ad aram ſacrificans. Habet hos nummos Mediobarbus f. 252. Erat vero Commodus Optimi parentis peſſimus filius, *à primâ ſtatim pueritiâ turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ut cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuerit.* Lampridius (*b*). Adeò tamen veſanus, *ut ſe Jovem, ſe Serapidem, ſe Apollinem, ſe Martem, ſe Herculem finxerit, uno verbo, omnibus Omnia. Se Auctorem denique Pietatis* (& Reſtitutorem) *aſſereret, qui erat ſummè impius*, Patino id è nummis docente (*i*). Et hinc tam crebra reperimus Pietatis ſpecimina, mox Herculi, mox alii Deo Deævé ſacra facientis Commodi, etiam Iſidi, de cujus cultu AVCTOR & RESTITVTOR PIETATIS audiviſſe, creditur Mediobarbo. Nam quamvis diu peregrinam Religionem Romani non admiſerint, (*k*) quia *nihil æquè diſſolvendæ Religionis, quàm ſi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur, judicabant prudentisſimi Viri* teſte Livio, (*l*) & hinc Chriſtiana etiam diu profligata fuerit: uti docet Inſcriptio apud Gruter. p. 238.

NERONI CL. CAES
AVG. PONT. MAX.
OB PROVINC. LATRONIB
ET. HIS. QVI. NOVAM
M GE-

(*b*) Capitolinus in Vita Marci Cap. 19. *his moribus eum fuiſſe* tradit, *quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus arenarius, nullus poſtremò ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concretus.* (*i*) In theſauro p. 94. (*k*) Val. Maxim. Lib. II. c. 3. Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. II. conf. legem, qvam citat. Cicero II. de Legib. (*l*) Lib. XXXIX.

GENERI. HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

Fidem huic faciunt, quæ de hoc Cæsare affert Suetonius in Vit. Ejus cap. 16. Hùc referantur item aliæ duæ Inscriptiones ap. E. ind. p 280. Diocletiani qui NOMINE. CHRISTIANORVM. DELETO. QVI. REMP. EVERTEBANT, & SVPERSTITIONE CHRIST. VBIQ. DELETA. ET. CVLTV. DEOR. PROPAGATO laudatur. Tamen successu temporis, nostram si exceperimus, plurimùm Deorum dearumque peregrinarum, ipsis inducentibus Augustis, Religio floruit viguitque Romæ: Imprimis verò & Isis, quo sæpiùs expulsa erat, eò crebrius recepta (m), ut de eâ, licet ex mente aliorum pronunciet Diodorus (n): *Πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκουμένην μαρτυρεῖν ἑαυτοῖς εἰς τὰς ταύτης τιμὰς, φιλοτιμουμένην διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν.* Conferatur Laurentius Pignorius *in mensâ Isiacâ* (o), qui quamdiu repugnaverit, donec assumsit hæc Ægyptiaca sacra, Roma, prolixius & ordine tractat, ubi etiam sacra ipsa & ritum eorum tangit. *M. Aurelium* quidem jam ædem dicâsse Serapidi, inscriptio ista docet ap. Gruterum p. 85.

SE-

(m) Val. Max. l. c. (n) Lib. I. Biblioth. Sect. I. p. 15. (o) Cap. II. p. 10. Addatur Ezech. Spanhemius Dissert. IV. p. 263. 266. Kippingius Lib. I. cap. V. Antiqv. Rom. n. 11. Dempsterus Paralip. ad Rosin. Cap. 21. & 22. hùc referatur elegantissima hæc, quam ex Apiano & Amantio p. CXXXVI. descript. Italiæ excerpsimus, Isidis columna: EGO ISIS SUM AEGYPTI REGINA A MERCVRIO ERVDITA QVAE EGO LEGIBVS STATVI NVLLVS SOLVET. EGO SVM MATER OSIRIDIS, EGO SVM PRIMA FRVGVM INVENTRIX EGO SVM ORI REGIS MATER EGO SVM IN ASTRO CANIS REFVLGENS MIHI BVBASTVA VRBS CONDITA EST GAVDE GAVDE AEGYPTE QVAE ME NVTRISTI.

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS. ANTONINVS
IFEX. MAX. TRIBVNIC. POT. X.
AEDEM

Et ante hunc *Hadrianum* quoque, suspicamur è nummo, quem Occo habet (*p*), ubi Isis & Serapis majori formâ quàm in aliis nummis conspiciuntur, cum epigraphe: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΑΙΩΝ. *Ottonem* etiam sacrificâsse Deæ, è Svetonio (*q*) constat, confirmante, quem habet Patinus, eleganti rarissimoque, ut reliqua hujus Cæsaris, numismate. De *Commodo* autem Lampridius (*r*) *quòd sacra Isidis coluerit ut & caput raderet, & Anubim portaret*; & Herodianus (*s*) singulariter, Eundem *matri DEûm* (*t*) sacra fecisse (*u*), scribit. Nummus item apud Occonem occurrit, cum inscr. SARAPIDI CONSERV. AVG. Et ad nostrum confidenter Mediobarbus asserit: *Ob sacra Isidis ab eo culta Auctorem Pietatis & Restitutorem dici voluisse.* Enimverò, cùm nummi ipsi id non evincant, nullum etiam vel marmor vel historici testimonium pro stabiliendâ hâc suâ sententiâ habeat Mediobarbus, conjecturam quidem non contemnimus, eidem tamen tutò subscribere non possumus: Hoc interim largientes, *maximè ob Pietatem erga deos* ita appellatum, de

(*p*) In editione Veteri Antverp. 1579. p. 164. (*q*) In Vit. Ejus, c. 12. (*r*) In Vit. Commod. Cap. 9. (*s*) Lib. I. cap. X. XI. (*t*) An Isis cum matre DEûm, vel Cerere & Attide eadem sit, disquirere cum ipso Reinesio nolumus, qui epist. ad Rupertum 68. p. 616., *multis modis à se dissonare*, ait, *ut soleant*, *quæ fingantur.* (*u*) Cujus testes tres habet Occo nummos cum inscr. MATRI DEVM CONSERV. & MATRI DEVM SALVTARI. p. 251. p. 255. s. habet.

quo conſtat, Religionis opinionem admodum affectâsſe, ut, Lampridio teſte, & *habitu victimarii victimas immolârit*; conferatur nummus, quê citat Occo è Patini hiſtoire des medailles(*x*), ubi Imperator ante templum inter victimarios adſtat. *Reſtitutor* denique atque *Auctor pietatis* dicitur, non quòd ipſe primus Cultor extiterit, cujus exemplum ſecuti eſſent alii, quo ſenſu AVTOR vel AVTHOR ſcribendum fuiſſet, licet perpetuum hoc leſſe non contenderim, ſed quòd ipſe auxerit Religionem Pietatemque, ſive majora ejus ediderit ſpecimina, ac plura quam alii. Senatûs auctoritate decretoque appellatum fuiſſe Auctorem, produnt additæ S.C., quæ litteræ in illo, ubi RESTitutor PIETatis dicitur, non occurrunt.

XXIII.

Excipit Religionem PIETAS, quam PATRIÆ debemus; hâc claret Pertinax, cujus nummum è theſauro Boſio-Sagittariano exhibemus, & inſcribitur:

DIVVS PERT. PIVS PATER, Caput nudum Pertinacis, & adverſâ parte:

CONSECRATIO. Aquila globo inſidens.

Quâ animi cum modeſtiâ Pertinax imperii Romani faſces acceperit, quâ lenitate principatum geſſerit, quâ denique cum populi Rom. Senatûsq; voluptate omnia in melius mutaverit, teſtantur conceptæ, quam latè patebat imperium, ſubditorum ſpes, doloresque ob ejus necem. Hinc lætæ acclamationes(*y*) *PIETATI SENATVS FELICITER! & JVPITER O. M.* VT SALVI SIMVS, SERVA NOBIS PERTINACEM.

Quâ

(*x*) p. m. 163. edit. Gallic. (*y*) Lampridius in Commodo.

Erat autem Publius Helvius Pertinax Patre libertino natus, genere Italus, domi bellique rebus gestis clarus, multisque insignis tropæis, quæ adversus Germanos atque Orientales barbaros erexerat: gravissimus Commodo à Parente relictus amicus, & *quùm plurima administrâsset, tamen erat omnium pauperrimus.* Grandævus sexagenario major contra voluntatem principatum sumere, coactus, illud haud diu obtinuit, à prætorianis enim quietam rerum conditionem haud satis æquo animo ferentibus obtruncatus est. Herodiano (z), Iulio Capitolino (a), & Victore (b) testibus. Describitur à Iulio Capitolino l.c. quòd fuerit: *Senex venerabilis, immissâ barbâ, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiori, ventre prominulo, staturâ Imperatoriâ, eloquentiâ mediocri, & magis blandus, quàm benignus, nec unquam creditus simplex &c.* Nudo pingitur capite, quia in DIVORVM relatus est numerum, qui sæpiùs nudi apparent, uti *Augustus* apud Stradam n. 21. interdũ tamen & radiati, *Titus* ap. Eund. n.151. Laureati m. ut *Claudius* ap. Choul. p. 78. Ludi Divo Circenses sunt facti, & flamines creati Helviani appellati sunt, Capitol.

Pietatem vero Ejus singularem tùm erga populum tùm erga Deos, præter, quam habemus, ejus Vitam à suprà laudatis descriptã, egregiè illustrant bini, quos Segvinus (d), alterũ exprimit, alterum citat nummi: Ille quidem præ se fert mulierem dexterâ tesseram frumentariam, sinistrâ cornucopiæ tenentem, cum inscr. LIBERATIS CIVIBVS, ad indicandam Pertinacis liberalitatem, qui initiò principatûs populo an-

 nonæ

(z) Lib. II. c. 1. s. (a) in ejus Vitâ. (b) de Cæsarib. 18. & in Epitom. 34 (c) cap. 5 de his ludis conf. Kipping. Lib. II. c. 6. (d) Select. Numism. Antiqv. Impp. f. 161. s.

nonæ caritate presso ipse frumenta præbuit, adstipulante Julio Capitolino in Vit. Pertinac. Cap. 7. & nummo isto, quem è museo Daviæ Mediobarbus attulit (*e*).

Alter nummus, quem argenteum & æreum possidere se ait Segvinus; & apud Occonem (*f*) etiam qvater apparet, à parte aversâ figuram muliebrem sedentem, manu dextrâ duas frumentarias spicas ostentantem exhibet, cum epigraphe: OPI DIVINAE; ut & auxilii divini memorem se præberet, & præcipuè Opi, seu terræ, quæ frumenta proferat, honorem haberet. Maximè hoc illustrat atque elegantissimè inscriptio ista vetus apud Gruterum (*g*), quam & Patinus citat (*h*):

OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE
PRIMIGENIAE. SACR.
IMP. CAESAR. HELVII
PERTINACIS. AVGVSTI
V. D. D.
T. CAESIVS. T. F. HERODES
V. S. C.

Ad quam conjicit Gruterus, Pertinacem statuam hanc *Opi vovisse ac dedicasse, Titum verò Cæsium hunc votum solvi curâsse.* Pater appellatur, ex summo Populi Senatûsque erga Eum amore, cum alii PATRES PATRIAE, quorum primus Cicero dictus est, vocitarentur; quamvis de eo Capitolinus (*i*) referat, quôd Augustus sit appellatus, & PATRIS PATRIÆ nomen unà cum imperio proconsulari, & jure quartæ Relationis receperit. Et hinc Victor (*k*): *Huic mortuo Divi nomen decre-*

(*e*) f. 260. (*f*) f. 260. (*g*) p. 26. (*h*) Numism. Impp. f. 270. (*i*) Cap. V. iu Vit. Pertinac. (*k*) In Epitom. 34.

decretum est: ob cujus laudem ingeminatis ad vocis usque defectum plausibus, acclamatum est: PERTINACE IMPERANTE SECVRI VIXIMVS, NEMINEM TIMVIMVS, PATRI PIO, PATRI SENATVS, PATRI OMNIUM BONORVM.

Neque vero solus Pertinax PII PATRIS meruit nomen, sed & Postumus apud Occonem (*l*) PIVS audit PATER; Neque hæc appellatio PATRIS nova est. Augustus enim jam diu antè PATER dicitur in nummo isto apud Stradam n.31. quales tres possidet etiam Nummophylacium B. Bosii, Syllog. Poster. Tab.IV. Etiam Trajanus apud Morellium (*m*) DIVVS PATER nominatur. Sed rarior est hæc appellatio, quàm ut vulgò tribuatur, nec nisi optimi ita dicti sunt Principes. Aliam affert & rarissimam inscriptionem Gruterus p.165. quam B. Bosius, (*n*) Constantino M. tribuit; DIVVS AVGVSTVS PIVS PATER DOMINORVM. Aliàs de PATRIS appellatione elegantissimè & fusius agit Illustr. Spanhemius (*o*).

De Consecratione superiùs egimus, quòd jam non repetimus. Restat ut de tempore, quo cusus est hic nummus, pauca annectamus. Post mortem nimirum Juliani demum percussum esse è loco isto Capitolini (*p*) qui ait: *Cùm Julianus quoq; á militibus desertus esset, per Senatum & populum Pertinax in Deos relatus est*, constat. An verò initio principatûs Severi, qui ulciscendam promiserat Romanis Pertinacis necem, ejusque assumsit cognomen, teste Herodiano & nummis variis, an post pacatum undique imperium, tacente historia, taceat quoque omnis conjectura. Hoc facilè probari potest, suffragante ipso Kippingio (*q*), ad illum, quo

(*l*) f.395. (*m*) In Specim. Tab. III. (*n*) De Pontific. Maxim. Impp. Rom. Cap. II. § 9. p.16. (*o*) l. c. Diss. IIX. p. 74. ss. (*p*) In Vit. Pertinac. Cap 14. (*q*) Lib. I. Antiqv. Rom. c. 12. p. 340.

quo consecratus est Pertinax, dic, hunc cusum fuisse nummũ. Aliàs inter nummos Severi apud Patinũ aliquis apparet, templum decem columnis extructum referens, & inscrib. I.O. M. H. COL. HEL. i.e. IOVI OPTIMO MAXIMO HELVIO COLONIA HELVIANA, quem explicat Patinus, quòd coloni gratias agentes suæ coloniæ fundatoribus Pertinaci & Severo eum obtulerint: & Dio in funere Pertinacis οἴκημα ἄτοιχον περίστυλον ædem illam, quæ Pertinaci est extructa vocat, i. e. *non parietibus sed columnis suffultam*, notante laudato Kippingo l. c.

XXIV.

Huic meritò adjungimus *Iuliam Domnam* Severi uxorem. Licet enim ante hanc alios Imperatores hùc referre potuissemus, qui post Antoninum *Pios* sese appellârunt, quia verò Augustarum nummi non solent non esse rariores, non omittendum hunc rati sumus. Debemus eundem thesauro Bosio - Sagittariano; argenteus est, & inscribitur.

IVLIA PIA FELIX AVGusta

Caput Iuliæ, aversus Dianam facem gestantem exhibet, cum epigr.

DIANA LVCIFERA.

Non Viros modò sed & fæminas hunc sibi PII & FELICIS titulum arrogâsse, noster ante alios docet præsens nummus. Iam ostendimus, Antoninum fuisse primum, qui PII nomen assumserit. Mox secutus est Commodus, qui FELICIS titulum addidit, de quo Lampridius (s): *Inter hæc Commodus Senatu semet ridente, qvum adulterum matris Consulem designasset, appellatus est PIVS, qvùm occidisset Perennem*

(r) Numism. Impp. f. 281. (s) in Vit. Commod.

nem, appellatus est FELIX. Severus quamvis FELICISSIMVM se & FORTISSIMVM vocet (*t*), nunquam tamen PIVM & FELICEM reperimus. Uxor verò ejus Iulia, fœmina insolentissima ac superbissima hunc arripuit titulum. Et *Piam* quidem, quia variis meruit de populo Romano beneficiis, *Felicem* autem dixêre, cùm, quia omnes ferè Orientis Civitates Pescennio hosti Pop. Rom. favissent, & non nisi eversionem & ruinam illo vivente expectare debuissent, fortuna quædem eos servaverat, quam Iuliæ tribuunt. Et hinc apud Tristanum (*u*) nummus est, ubi Iulia in templo cum SERVATRICIS laude, & apud Patinum, ubi ΑΤΓ ΔΟΜΝΑ ΤΥΧΗ vocatur. In summo fuit ubique honore, ut plurimæ etiam provinciæ nummis cusis, quos partim recenset Patinus (*x*), suum erga illam animum declarârint. Golzius ejus hanc habet inscriptionem:

IVLIAE AVG. MATRI AVG N. ET. CASTRORVM ET SENATVS ET PATRIAE ET IMP. CAES. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAXIMI

Et nummum habet Occo (*y*), in quo MATer AVGustorum, MATer SENatûs, MATer PATRiæ vocatur, qui S. C. cusus est. (*z*) Aliàs fuit impudicissima fœmina, ut & cum filio incestum perpetraret, de quo Spartianus: (*a*) *Matrem* (non alio erat dicenda nomine) *duxit uxorem, ad parricidium junxit incestum*; ac nihilo minùs Romana adulatio PVDICITIAM ejus laudat in numismate, quod Choulius servat (*b*), argenteo,

N Mor-

(*t*) apud Golzium l. p.56. & Gruterum p.265. (*u*) Comment. historic. tom. 2. (*x*) In numism. Impp. (*y*) f.281. fs. (*z*) ante hanc tamen Liviam quoqve appellatam MATREM PATRIAE ac GENETRICEM Dio testatur Lib. 57. p.610. (*a*) In Severi. Vit. (*b*) p.120. de la Religion &c. & ap. Occon f. 282.

Mortua eſt Antiochiæ, luctu ob filios, quibus interemtis carere cogebatur, Herodiano teſte (*c*).

In noſtro præſenti nummo Lunæ comparatur Iulia, uti Vir ejus Soli, & filius Caracalla Orienti. hinc Oppianus Poëta κυνηγετικῶν.

Νύμφη ἀριστοπόσεια, λεχὼ δέ τε καλλιτόκεια
Ἀσυρίη Κυθέρεια, καὶ οὐ λείπουσα Σελήνη. (*d*)

Figura vero iſta facem tenens nihil aliud niſi lunam ſive Lucinam, quæ & Diana dici ſolet, indicat. Nobilis eſt locus Ciceronis de natura Deorum (*e*): *Luna à lucendo nominata.... Eadem enim Lucina. Itaq; ut apud Græcos Dianam etiam Luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.*

Eam verò cum face ardenti ſolere pingi, auctor eſt idem in oratione in Verrem: (*f*) *Erat* (Diana Segeſtana) *admodum amplum & excelſum ſignum cum ſtolâ; &c. Sagittæ pendebant ab humero: ſiniſtrâ manu retinebat arcum: dextrâ ardentem facem præferebat.* Neque una erat, ſed plures, quas Idem recenſet in libro de divinatione. (*g*)

Operæ pretium eſt, ut, cùm ſæpiùs mundus muliebris, quo caput ornant, in nummis noſtris occurrat, de eo breviter aliqua annectamus.

Ornatus ille duplex eſt: *vel* enim, ut ait Tertullianus (*h*), *in auro, argento, gemmis & veſtibus deputatur, vel in curâ capilli;* hunc cernimus in nummis noſtris *Lucillæ* n. 7. *Pietatis n. 13. & 18. Veneris n. 17. Agrippinæ* item, *Fauſtinæ, Otacilia* & *Iuliæ* n. 19. 21. 22 & 24.; illũ in *Pietatis* n. 1. 2. & *Matidiæ* n. 20.

Pietas n. 1. & 2. ricâ vel peplo velata conſpicitur. Eſt enim rica *parvum palliolum ad uſum capitis factum. Vittam*

(*c*) Lib. IV. c. 13. (*d*) conf. Oyſel. ad tab. L. (*e*) Lib. II. p. 310. B. (*f*) p. 239. E. F. (*g*) Lib. III. p. 341. G. (*h*) de habitu muliebr. cap. 4.

tam appellat Otto Sperlingius (*i*) *Sacerdotalem.* Erat & alia brevior, ricula dicta, quæ caput tantùm tegebat, non ad humeros usque demissa. vid. ap. Patinum (*k*).

Matidia vero in nummo 20. vittam gestat duplicem sive mitram. Ea describitur à Tertulliano (*l*) dicente: *Mitris & lanis quædam non velant caput, sed conligant, à fronte quidem protecta; quà propriè autem caput est, nudæ.* Tales mitras sæpiùs in nummis Augustarum videmus. conf. Oysel. tab. 48. n. 4. & *Liviæ Medullæ* vide apud Stradam. n. 39. Occiput fasciâ obligat Matidia, cujusmodi quoque observatur apud Patinum, (*m*) ita, ut *capillamenti textilis*, manu tamen psecæ (*n*) facti, pars appareat.

Aliud enim ab artificibus, quos corrupto hodie idiomate Perruquen-macher dicimus, confitiebatur. Et tale gestat Otacilia in nummo nostro, ubi cornu, quod prominet, *loco vittæ sive mitræ se exerere* credit Sperlingius, & fortè, cùm super frontem locandum fuisset, incuriâ cælatoris aliò transpositum est. Probabilius tamen videtur, semimitram sive *vittam margaritarum* esse, quàm confundens pictor, capillamenti instar finxit.

Sutilibus utuntur capillamentis *Agrippina* n. 19 *Faustina* n. 21. & *Iulia* n. 124. Constabant hæc brevioribus cincinnis, & erant similia illis, quæ vocant hodie Galli *perruques d' Abbé, quamvis adhuc breviora veterum fuisse* credat Sperlingius p. 16. Iuliæ capillamentum longius est, id quod indicat declinantem morem Romanorum, qui initiò brevissimis modò usi sunt capillamentis; cujus rei nobile præter nostrum *Faustinæ*

 & *Agri-*

(*i*) ad nummum Furiæ Sabinæ Tranquillinæ p. 19. (*k*) In fam. Cossutiâ n. 4. f. 94. (*l*) in libro de Veland. Virg. c. 17. (*m*) in fam. Postumiâ f. 231. f. 231. (*n*) conf. Reines. ep. 34. ad Rupertum p. 260. & Tertullian. de Cultu fæm. c. 7.

& *Agrippinæ* nummum, atque elegantissimum plane habemus exemplum in *Helenæ* nummo apud Stradam n. 361. Addatur Tertullianus de cultu fæminarum, ubi capite 6. de his capillamentis egregia habet.

In 13. & 18. *Pietatis* & 17. *Veneris* nummo proprios ego credo capillos, quibus licet paucæ, aliquæ tamen Romanæ usæ sunt mulieres. De toto verò hoc crinium apparatu aliàs, si licuerit, fusius agemus, hic potissima, quæ opus erant, adduxisse, sufficiat.

Seqvuntur PII ERGA PARENTES. Horum plurimos laudat Antiquitas. De *AEneâ* supra jam egimus. Hunc excipit *Metellus*, qui, *ob patrem lacrymis & precibus assiduè ab exilio revocatum*, Autore Aurelio Victore (*o*) PIVS dictus est. Hujus rei ergò binos nobis tradidit curiosa Vetustas nummos (*p*), ubi Imago Pietatis cum ciconiâ bis occurrit; alter aversus elephantum, qui itidem Pietatem aliàs designare creditur Pierio (*q*), hic gentis gloriam, cum inscr. Q. C. M. P. I. h. e. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator; & alter urceolum atque lituum in coronâ, exhibent, & inscr. IMPERator.

XXV.

Præcipuè verò etiam PII nomen *Sextus* meruit, cujus nummum iterum è nummophylacio Bosiano exhibemus, atque eundem habent Patinus (*r*) atque Oyselius (*s*).

Inscribitur:

MAGnus PIVS IMPerator ITERum, & aversâ parte, quâ injuriâ temporis ferè exesus est noster,

PRAE-

(*o*) de Vir. Illustr. n. 63. p. 171. (*p*) ap. Patinum de fam. in Cæciliâ f. 50. (*q*) Hieroglyphic. Lib. II. c. 26. p. 23. (*r*) in fam. Pompejâ. f. 219. (*s*) Tab. LXXVI. n. 10.

PRAEFectus CLASsis ET Oræ MarITimæ.

Adversus clarè monstrat vultum Pompeji nudum, ante quem lituus, & ponè urceolus. (t) Disputat de hàc effigie Seguinus(u), & Patris imaginem repræsentare posse, arbitratur, licet signa Pontificatûs & Auguratûs videantur aliud quid velle, *quia symbola ista apposita nummis, ipsæq; adeò inscriptiones non iis semper, quibus appositæ sint, capitibus conveniant, sed magistratus sæpius designent, aut Triumviros monetales, quorum auctoritate cusi sint; Dein, quia Cicero de Sexti Pompeji auguratu loquens, vocet paternum auguratûs locum.* Enimverò hæc omnia nondum ad subvertendam Fulvii Ursini aliorumq; sententiā sufficere, palàm est. Pater ejus Magnus ille Cnæus Pompejus, qui cum Cæsare atrocissimū pro principatu bellum (y) gessit, interfectus post aciem Pharsalicam filios reliquit Cnæum & Sextum Pompejos; quorum alter in Hispaniâ acriter adversus Cæsarem pugnans, captus occisusque est; alter qui Magnus & Pius audit, superstes Cæsari cum Octavio variè pugnavit. Pace factâ Præfectus Classis & Oræ maritimæ ex S. C. & Imperator iterum, ut ostendit nostra quoque inscriptio; teste Vellejo, factus, diu Siciliam tenuit (y), tandē in Ægypto, jubente M. Antonio à M. Titio interemtus, vitam finiit, Vellejo teste Lib. II. qui eum describit, quòd fuerit *Adolescens studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimilimus, libertorū suorū libertus, servorumq; servus, speciosis invi-*

N 3 dens,

(t) Patinus habet: ET ORÆ MARIT. EX. S. C. (u) In epist. super dubiis quibusd. ad nummos fam. Rom. Ursini ad Gottifredum Eqv. Rom. p. 212. seqv. (x) quod describunt Florus Lib. IV. c. 2. & Lucanus de Bello Pharsalico. (y) conf. Dion. Cass. lib. 47.

deus, ut pareret humilimis. PIVS vocari creditur Segvino l.c. duplicem ob rationem, & *propter observantiam in patrem & & propter charitatem in patriam & cives suos.* Hoc testatur corona illa quercea, cui inclusa est imago Pompeji, apud Patinum l.c. quæ, adstipulantibus Pompejo, Segvino, aliisque nulla alia esse potest, nisi quam *ob servatos cives* profugos meruit (z)

Illud verò clarissimè noster nummus designat. Expressè enim fratres Catanenses ob pietatem erga parentem utrumque celeberrimos ob oculos ponit. Horum virtutem eximiam egregiè commendant Virgilius (a) Ælianus, Solinus, Val. Maximus (b) Claudianus, (c) Seneca (d) Pausanius (e) & Strabo (f) qui ait: Καὶ οἱ ῥύακες εἰς τὴν Καταναίαν ἐγγυτάτω καταφέρονται, καὶ τὰ περὶ τοὺς ΕΥΣΕΒΕΙΣ ἐκεῖ τεθρύλληται τὸν Ἀμφίνομον καὶ τὸν Ἀναπίαν οἳ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι διέσωσαν ἐπιφερόμενοι τοῦ κακοῦ. & Solinus addit: Horum memoriam ita posteritatem muneratam esse, ut sepulcri locus nominaretur: CAMPVS PIORVM. Addatur Aristoteles (g): Ἔνθα καὶ τὸ τῶν ΕΥΣΕΒΩΝ γένος ἐξόχως ἐτίμησε τὸ δαιμόνιον, περικαταληφθέντων ὑπὸ τοῦ ῥεύματος· διὰ τὸ βαστάζειν γέροντας ἐπὶ τῶν ὤμων γονεῖς, καὶ σώζειν. πλησίον γὰρ αὐτῶν γενόμενος ὁ τοῦ πυρὸς ποταμὸς ἐξεσχίσθη παρέτρεψέ τε τὸ μὲν ἔνθα· τὸ δ' ἔνθα καὶ ἐτήρησεν ἀβλαβεῖς ἅμα τοῖς γονεῦσι τοὺς νεανίσκους. Hinc elegantissimi aliquot ac nitidissimi in hujus rei memoriam ad æternam horum fratrum gloriam cusi sunt nummi, quorum binos exhibet ê thesauro Palatino Begerus p. 220.

Et

(z) conf. Plutarchus in Qvæstionibus & Boxhornius in animadv. ad istas. *cur data sins corona quercea, iis, qui civem servassent?* (a) In Ætnâ. (b) Lib. V. c. 4. (c) Epigr. 35. (d) Libr. III. de Benef. cap. 37. (e) Lib II. in Phocicis. (f) In Geogr. Sicil. Lib. VI. p. 185. (g) In libro de mundo cap. 6.

Et ob hanc erga Patrem pietatem, quem armis ulturus erat Sextus, PIVM denominatum, facilè largimur, moti, quòd in prælio Mundensi Pompejanis partibus pro tessera PIETAS fuisse dicatur. Legendus Cicero in Philippicâ (i) *Quòd si*, inquit, *eadem ratio Cæsaris fuisset, in illo tætro miseroq; bello, ut omittam patrem, duos Cnæi Pompeji Summi & singularis Viri filios incolumes haberemus, quibus certè PIETAS fraudi esse non debuit*; Interea tamen, factum illud, quod profugis clementem se & beneficum præbuerit, appellationē hanc induxisse, negamus, quamvis augere Pietatis opinionem atque nomen potuerit. Intermedia figura, quam noster nummus exesus & arrosus vix conspiciendam tradit, apud Oyseliū tridentē dextrâ tenet, (i) capite fasciâ ligato, in altū surgentibus capillis; Patinus vero eandem radiatâ cinctam coronâ, & amplustre manu tenentem exhibet & Occoni subscribit. In hoc tamen omnes consentiunt esse Neptunum, cujus filium se finxit Sextus (k).

Denique Imperator alio plane sensu dicitur Pompejus, qvàm ætate subsequente Cæsares atq; Augusti Imperatores sese vocare consveverunt. Hic enim idem est ac dux belli; veluti usurpat Cicero (l): *In summo Imperatore quatuor has res inesse oportere.* Id quod annotat Casaubonus ad Svetonii Cæsarem: *Appellatio Imperatoris in historiâ Romanâ trifariàm accipitur: primùm pro ἡγεμὼν στρατηγός. 2. pro Victor & νικητής. 3. pro Rex.*

Qvando cusus sit hic nummus haut liqvet. Post istud tamen in Hispaniâ pro Parente gestum bellum, quin factum sit, non dubitamus. Ante enim non erat præfectus classis & oræ Maritimæ. Senatûs Auctoritate intercedente, quæ in nummo

(h) Orat. V. Tom. II. p. 877. F. (i) tab. LXXVI. n. 10. (k) Dio Cassius Lib. 48. (l) Leg. Manil. p. 541. A.

nummo isto apud Patinum expressa legitur, vultum Pompeji impressum cernimus. Annotant enim Segvinus l.c. & Dn. Wagenseil (*m*) *Stante & vigente Republ. Civi Romano quantacunque ille dignitatis esset, non licuisse, monetæ vultum suum imprimere, dum viveret. Et certum esse, inter præcipuos & insolitos honores C. Iul. Cæsari Dictatori decretos constitutum fuisse, ut pecunia ipsius vultu signaretur.*

Nec minori pietatis laude claret Ariarathus ille, de quo Diodorus Siculus (*n*) Μετὰ δέ τινα χρόνον τῆς φύσεως ἀποδεξαμένης ἀνελπίστως (Φασὶ Ἀντιοχίδα) τεκεῖν δύο μὲν θυγατέρας, υἱὸν δὲ ἕνα τὸν ὀνομασθέντα Μιθριδάτης. &c. Τοῦτον δὲ ἀνδρωθέντα καὶ Ἀριαράθην Φασὶ μετονομασθῆναι, παιδείας τε ἑλληνικῆς μετασχεῖν, καὶ κατὰ τὴν ἄλλην ἐπαινεῖσθαι ἀρετήν. Καὶ ὁ μὲν πατὴρ Φιλοστάτερ-ὄντι τῷ υἱῷ ἔσπευδεν ἀποδοῦναι τὴν τοῦ Φιλοτέκνου σπουδήν. Καὶ ἐπὶ τοσοῦτον αὐτοῖς περιέβη τὰ τῆς πρὸς ἀλλήλους εὐνοίας, ὥστε ὁ μὲν πατὴρ ἐξίστασθαι τῆς ὅλης ἀρχῆς ἠγωνίζετο τῷ παιδί. ὁ δὲ ἀδύνατον ἐδόκει δέξασθαι αὐτὸν παρὰ γονέων ἔτι ζώντων τὴν τοιαύτην χάριτα. Vixit hic longo tempore ante Pompejum & reliqvam vitam studiis Cappæ dedit, utut Rex fuerit. Ejus nummũ egregium recenset Patinus in Thesauro, ex alterâ parte caput est diademate vel fasciâ cinctum, ex alterâ vero figura galeata cum clypeo aliã parvam imaginẽ dextrâ protendit, & inscribitur: ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

XXVI.

Tandem Antoninus, primus, quantum constat, PII nomen sibi vindicavit proprium. Numisma, quod exhibemus, iterum Bosio - Sagittariano thesauro debemus, inscribitur:

ANTONINVS AVG PIVS Pater Patriæ TRibuniciæ Po-

(*m*) In Dissert. de Re Monetar. (*n*) In Eclogis ed. 3. è libr. 31.

Potestatis II. Secundùm. Caput Antonini laureatum. COS IIII Imago salutis, dextrà pateram serpenti, quæ ex ara prosilit, porrigens, sinistrà temonem tenens.

Titi Aurelii Fulvii Bojonii Antonini Pii vitam breviter delineavit Aurel. Victor (o) & Iulius Capitolinus (p)

Cur appellatus sit Pius, varias reddunt rationes: Æl Spartianus (q) has recenset: *Vel, quòd Socerum fessum ætate manu sublevasset; vel quòd multos Senatores Hadriano jam sævienti eripuisset; vel quòd ipsi Hadriano post mortem magnos detulisset honores.* addit Capitolinus (r) *Vel, quòd cùm se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodià & diligentia fecerit, ne id posset admittere; vel quod verè naturà clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecerit, vel quod fœnus trientarium, hoc est, minimis usuris exercuerit, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret.* Præter allatas è vita ejus adhuc aliæ supersunt. *Laudatur*, enim, *Patri, quoad vixit, religiosissimè paruisse; in honorem Faustinæ puellas alimentarias constituisse Faustinianas; nec ullum sacrificium per vicarium, nisi cùm æger fuerit, fecisse.* ad quod postremum fortè respiciens Pausanias (s) motus est, ut potissimum appellationis ejus caussam hanc dixerit, inquiens: *Hunc Romani Pium cognomine appellarunt, quòd unus omnium religionum studiosissimus fuerit.* At verò, cùm constet, Hadrianum non minus, imò magis deorum cultum promovisse, ultima hæc ratio firma non est. Puellæ Faustinianæ aliquam denominationis ejus suspicionem afferre possent, nisi jam antea pium dictum fuisse liqueret. In hujus rei æternam tamen memoriam nummus cusus est, cum inscr. PIETAT AVG. COS. III.

O ubi

(o) In libro de Cæsarib. & Epitom. (p) In ejus Vit. peculiari. (q) In Vit. Hadr. Cap. 24. (r) In Vit. Antonin. Pii. c.2. (s) In Arcadic. Lib. VIII.

ubi Pietas infantes nudos gestat adstantibus duobus adhuc aliis vestitis (*t*), quo indicatur, ut explicat Oyselius ad Tab. LXXVII. Pietas Antonini ob institutos pueros puellasque Alimentarias, qui etiam Inscriptionem è Grutero affert:

DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMEMTARI

Tales tres nummos vulgavit Occo f 206. & Patinus (*t*) in Introduction à la Connoissance des Medailles (*u*). Ad tres istas Spartiani rationes respondet quidem Capitolinus, *quod non satis magnæ pietatis sint argumenta. Cum impius sit magis, qui ista non faciat, quam pius, qui debitum reddat.* Quæ verba & Occoni arrisêre, ut ob *clemens principatus initium, qui & sontibus pepercerit,* (*x*) Pium vocatum esse, crediderit. Verùm, re probè perspectâ, obtinebit Spartianus. Ipse enim Occo (*y*) exhibet nummum, cujus aversa pars Æneam Anchisem ferentem refert; neque diffitetur (*z*) ad parem aliquem nummum, ob imaginem Æneæ, quandam affectus erga Hadrianum habitam esse rationem: neque sine caussa ex S C. hi nummi cusi sunt. Tandem è Dione Xiphilinus

lib.

(*t*) Talem etiam nummum habet Choul. p. 37. (*u*) p. m. 97. (*x*) Similis est nummus Regis Ludovici XIV, qui inscribitur, CCC PVELLAE NOBILES SANCIRIANAE. & infra PIETAS M DC LXXXVII, explicatur [illegible] p. 28. *L'an 168[illegible]. le Roy fonda la maison [illegible] de Saint Cyr pour l'entretien de trois cent nobles demoiselles, & ce fut Mad. la Marquise de Maintenon, [illegible] un dessein si digne de sa Piete & de sa Magnificence.* (*y*) [illegible] & Xiphilinus in supplement. ad Dion. Lib. LXX [illegible]. (*z*) f. 191. (*a*) f. 197.

lib. 70. p. 799. commemorat, *Senatu heroicos honores Hadriano vita functo, tribuere recusante, multa flentem Antoninum lamentantemq; in Senatu disseruisse, atq; ita ad extremum dixisse: Igitur nec ipse Princeps vester ero, si ille improbus, inimicusq; vobis, atq; hostis fuit &c.* Nullum igitur mihi dubium restat, quin ob amorem filialem PII fuerit nomen adeptus Antoninus. Accedit, quòd, explicante Patino, ipse PIVS sub initia imperii nummum cudi fecerit, in quo adhuc gratam Divo Hadriano mentem testaturus, aversâ parte hujus vultum impresserit, & se Imperatorem, illum vero Augustum appellaverit. Licet interim non negemus, successu temporis indies plura Pietatis cùm prodeunt documenta, aliud aliudque appellationi huic accessisse robur, & illa, ut palam fierent, æri impressa, adeò, ut & [illegible] appellatus fuerit (*b*), & *sub figurâ Jovis beneficii ab Ephesiis gratum animum testantibus in nummo, cujus epigraphe* ΠΕΙΩ ΕΦΕΣΙΩΝ *exhibitus fuerit.* Verba sunt Segvini (*c*).

Cæteræ Pietatis exempla non latent. *Erga Deos* quidem testis est nummus, quem suprà recensuimus, & Oyselius habet Tab. LXXIIX. n. 1. *Erga Patrem*, Oysel. tab. LXXVI. n. 12. & Choul. p. 71. *Matrem*, apud Patinum Numism. Impp. f. 231. *Subditos*, ap. Oyselium Tab. LXXVII. n. 1. 2. ss.

Post hunc PII qvidem cognomen plurimi usurpavere, nullus tamen ita nudè, præter Severum, inscriptionibus testibus Romanis apud Gruterum (*d*).

Antonini autem plurimi, quod cognomen posteà

 etiam

(*b*) Huc confer. Ezechiel. Spanhemius de Præst. & usu Numism. 734. sqq. (*c*) Select. Numism. Impp. f. 134. s. (*d*) p. 265.

etiam quasi hæreditarium factum est aliquot Imperatorum & peculiarem de Bassiano, quem ita vocari jussit Severus, reddit rationem Aurelius Victor de Cæsaribus, in Severo. Ejus nominis dignitatem extollit Alexander Severus apud Æl. Lampridium (e): *Antoninorum nomen, vel jam numen potius, quale fuerit meminit vestra clementia. Si pietatem, quid Pio Sanctius? &c.* Absque dubio autem in nummo nostro per Antoninum Hadriani intelligitur Successor. Nam, licet & Geta apud Golzium f. 59. vocetur ANTONINVS PIVS, Commodus etiam in nummo apud Occonem (f) ANTONINVS AVG. & Caracalla in nummis & Inscriptionibus ANTONINVS PIVS audiat, tamen Vultus PIVM prodit, & reliqua Inscriptio hos intelligi prohibet, & hic licet se ANTONINVM PIVM AVG. vocitet, nunquam tamen ut ille ANTONINVS AVG. PIVS appellatur.

Aversus, interpretante Oyselio (g) designat, *salutem & Incolumitatem Imperatoris, ob ejus imperium etiam Orbis terrarum salutem esse*, hinc victimis precibusque à superis expetendam.

Tandem Pius ob clemens in subditos imperium, & bonitatem appellatus est Gallienus Imperator, qui CONSERVATOR PIETATIS dicitur. Nummum exhibet Occo f. 375. & inscribitur: GALLIENVS AVG. alii P. F. AVG. GERM. & aversus: CONSERVAT. PIETAT. Figura est paludata stans, dextra porrigens puerulo nudo stanti, sinistra hastam.

Sane servili modo in vinculis retentus Pater, pietatem de quâ gloriatur filius, in gnato non reperit. Miser enim cùm hujus auxilio liberari posset, in captivitate inter varia-

(e) Cap. 9. (f) p. 247. (g) Ad tab. XXC. n. [illegible]

varia barbarorum & ludibria & tormenta, Romano nomini & potentiæ (tùm quidem jam inclinanti) satis ignominiosa expirare coactus fuit, cùm intereà Gallienus libidini ac voluptati sese dederet, patremque inultum relinqueret. Ut de eo Trebellius, *quibusdam Patrem Principis quærere* se respondentibus, referat (*b*): *Non pudore, non mærore, non PIETATE* (utique erga Parentem) *commotum fuisse.* Mediobarbus conjecturatur, *fortè ob Sibyllinos libros à Gallieno inspici jussos, ob pestem, terræmotum, & alia Rom. Imperii infortunia Diis placatis fuganda CONSERVATOREM PIETATIS dictum esse Gallienum.* Quò fortè referri possunt nummi, qui IOVI CONSERVATori OB CONSERVATIONEM SALVTIS, etiam RESTITVT. GEN. HVMANI inscripti sunt (*i*). Attamen [illegible] idem Velit, neque ex inscriptione, neque ex nummi argumento colligere possumus. Quæ enim foret conservata Pietas? fortè ista, erga libros Sibyllinos? at hoc munus hactenus Pontificum Rom. proprium fuerat, nec unquam legitur, intermissum. Potiùs credendum est, ob veniam perduelli Aureolo datam, appellationem istam ortam esse. Ita namque clarius docet inscriptio Romana (*k*):

GALLIENO. CLEMENTISSIMO. PRINCIPI. CVIVS. INVICTA. VIRTVS. SOLA. PIETATE. SVPERATA. EST. ET. SALONINAE. SANCTISSIMAE. AVGV. M. AVRELIVS. VICTOR. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EORVM. Qui Aurelius an idem sit Aureolus, quem postea Mediolani obsedit Gallienus, jam quidem non definio, hoc tamen affero, magnam lucem inscriptionem hanc nummo nostro affundere; cùm *ista* videatur con-

(*h*) In Vit. Ejus Cap. IX. (*i*) Ap. Occonem f. 274. (*k*) E Gruttero p. 274.

conservata esse Pietas, quæ invictam vicit virtutem. Sive igitur jam Pietatẽ ergo patriam vel subditos, uti adversus nummus noster per puerulum nudum (in alio tamen ejusmodi nummo apud Occonem l. c. figura virilis est genu flexa) cui dextram porrigit Imperator, (conf. Patin. (*l*) in Hadriani nummis, & Constantini,) sive ergà ipsum Aureolum vel Aurelium, cum quo pacem sanxit, nummus præsens denotet, eodem res recidit. Certum tamen est, erga Deos pietatem conservatam innui non posse, quam novimus satis imminutam, templo etiam Ephesino incenso & spoliato. Et quomodo Sibyllæ libros inspectos denotabit figura virilis genuflexa, vel puerulus nudus, cui dextra porrigitur? Certe cùm sacrificiorum ritus in istis libris dicantur mandati, utique sacrificantis potius, quam talis foret figura fingenda. Cæterum non negamus, possibile, ut jam tum hi libri neglecti esse cœperint, quos necessitate adactus præsenti Gallienus velut è pulvere extraxerit; cùm è Fl. Vopisco (*m*) constet, *senatum, utut literis ac mandatis Aureliani*, qui paucis post, Gallieno mortuo, anno regnum est consecutus, *monitum, cunctanter admodum in iis evolvendis consensisse.* Verum conjectura talis vel nullo vel lubrico nititur fundamento, hinc rejicienda.

(*l*) Numism. Imp. f. 194. f. 465. (*m*) e Vit. Aureliani.

F I N I S.

(o)

Emendanda atq; addenda.

pag.5. lin. 4. lege ἱστίας. ibid. lege fucu. p. 7. lin. 27. dele c. 2. p. 12. l. 28. lege. Menestrier p. 15. l.2. del. , post etiam. p. 17. l. 29. dele. (b), & lin. 31. dele (c) Ep. 34. p. 213. p. 19. l. 25. lege Antoninus. p. 20. l. 19. lege ἢ. p. 24. l. 8. lege Romanorum. l.17. leg. CUS ITER. p. 25. l. 5. lege æneis. l.14. adde: corrigit. p.26. l.1. dele.; p 28 l.6. leg. Saloninum p.30. l. 12. lege Neronem. l 29. leg. Gallien. p.35 l.2 leg. parvæ. p 36. l 9. leg. pellissium. p.42. l 8. Royaumes. l.14. caduceum. p. 45. l. 26. secus. p.47. l. 23. dele ejusm. p. 53. l 7. adde : notanter admodum subjungit δυχνῦες τῶ ἱερῶ. p. 56. l 21. pro Lavardino Advocato Legatoque, leg. Duci Crequio Legato. p.65. l.21. lege allectam. p 67 l.5. lege falcis ibid. hoc. p. 71. l. 9. leg. refertendam. p.72. l 16. leg. fabricam. p 85. l.25. adde, Diocletianus.




ROMA


1
PIETAS
S C
VESTA
2
PIETAS
SC
3
PIETAS AVG
4
5
PIETAS
6
7
ILLAE AVG
PIETAS
S C
8
9
10
PIETAS AVG
11
IMP C M AVR CARINVS AVG
PIETAS AVG
12
CAESAR AVG GERMANICVS P M TR POT
PIETAS
S C
13
14



15
ΤΙΜΟΘΕΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ
ΙΕΡΟΝ
ΕΥΣΕΒΕΙΑ
16
ΕΥΣΕΒΕΙΑ
18
17
CAESAR
20
MATIDIA AVG. DIVAE MARCIANAE F.
PIETAS AVGVST
S C
21
FAVSTINA
PIETAS
S C
22
MARCIA OTACIL. SEVERA AVG.
PIETAS AVGVSTORVM
COS.
19
26
COS IIII
25
23
CONSECRATIO
24
FELIX AVG


BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA


ROMA





